Roma.



DE MUSIVIS.

JOSEPHI ALEXANDRI FURIETTI

Utriusque Signaturæ Referendarii, Sacrarum Congr. Concilii, & Residentiæ Episcoporum

A SECRETIS

DE MUSIVIS

AD SS. PATREM

BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM.



ROMÆ

APUD JO. MARIAM SALVIONI TYPOGRAPHUM

PONTIFICIUM VATICANUM.

M. DCCLII.

SUPERIORUM FACULTATE.

BEATISSIME PATER.



Ogitantem sæpe numero, Beatissime Pater, me aliquid mearum Lucubrationum amplissimo Tuo Nomini nuncupare, forenses curæ, quibus vacando parum otii supererat, ut

aliis

aliis ſtudiis incumberem, a propoſiti operis implemento deduxerunt. Poſtquam verò ſingulari, & eximia benevolentia Tua me a Judiciorum ſtrepitu revocaſti, animus continuo exarſit ad retexenda, quæ de Muſivaria arte ſparſim obſervata collegeram, eaque Sanctitati Tuæ inſcribenda. Hoc verò non tam officii, & obſequii mei ratio a me poſtulabat, quàm Sanctitatis Tuæ Studium, quo mirabilem hanc artem foviſti, & in dies amplecteris, antiquis Muſivis in Urbis Baſilicis reparandis, noviſque Tua pecuniâ conſtruendis, ne a Prædeceſſo-

rum


rum Pontificum veſtigiis deflecteres, qui Muſivariam artem plurimum coluerunt, & propagarunt. Nec ſane quiſquam miratur liberalium Artium favorem, & cultum a Te maxime probari, qui per omnium doctrinarum gradus a prima adoleſcentia dies Tuos traduxiſti, quibus ornatus non tam Dignitate, quàm Sapientia excellis, Tuoque exemplo ſcientiarum cultores, & præceptores tamquam publicæ felicitatis miniſtros ad edendos uberes ingenii ſui fructus quotidie excitas. Ubi verò doctrina, & virtute Viri plurimum præſtant, etiam

libera-

liberales artes veluti quadam cum ſcientiis cognatione excoluntur, & magno in pretio habentur. Hanc igitur ob cauſam, ut doctrinarum profectus Pontificatus Tui ſplendori accederet, quamplures Academias inſtituiſti, quæ ſtatis diebus præſente Te cogerentur, ut Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & Liturgiæ non minus, quàm Conciliorum, & antiquarum rerum ſtudia perpetua exercitatione foverentur. Neque leviorem curarum Tuarum partem in liberales artes excolendas contuliſti, qui Muſeum Capitolinum Signis, Simulacris, & ſculptis marmo-

marmoribus auxiſti, celeberrimorum quoque Pictorum Tabulis in novam a Te conſtructam Aulam invectis, Baſilicas D. Pauli Via Oſtienſi, & S. Mariæ Majoris in Exquiliis exornaſti, atque Templo SS. Marcellini, & Petri a Solo ædificato, aliiſque ſplendidis operibus illuſtriorem Urbem feciſti. Quare, cum inter tot virtutum ornamenta numquam ſatis laudatam ſingularem humanitatem Tuam omnes maxime admirentur, in ſpem certam adductus ſum Nullum futurum, qui me nimium fidentis animi inſimulare velit; neque Sancti-

tati Tuæ ingratum fore, quod hunc qualemcumque vigiliarum mearum fructum Sacratissimo Sanctitatis Tuæ Nomine honestaverim.



Sæpe





ÆPE ego, cum otium mihi a forensibus curis in Urbe esset, & frequens Tibur secederem, cujus maximam agri partem magnifica, & temporis injuriis obnitentia adhuc implent antiquorum ædificiorum rudera; animum adjeci ad detegenda magnis terræ egestionibus illustria, & quæ in deliciis fuerunt, Romanorum monimenta. Principem inter hæc locum obtinet Hadriani Imperatoris *Villa, quæ ad radices montium assurgit meridiem versus, amplæ potius Civitatis, quàm* Suburbani *speciem nunc etiam referens.* Latitudinem, *atque longitudinem definit vallis, qua a cæteris latissimi agri partibus natura locum disjunxit, ambitu ter circiter mille passuum.* Hìc Hadrianus, *peragrato Imperio,* Villam *immani sumptu, atque eleganti cultu construxit; ita ut in ea, ut ait*

Ælius Spartianus, vulgatissimo equidem loco, sed, qui unus est in universa antiquitate, & Provinciarum, & Locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lycæum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe vocaret; & ut nihil prætermitteret, etiam Inferos finxit. *Pyrrhus Ligorius, cujus est omnibus Antiquitatum cultoribus cognitissimum ingenium, inter alias Tiburis Villas hujus etiam descriptionem Hyppolito Cardinali Atestio inscripsit, illiusque Ichnographiam Kircherius & Contineus delinearunt. In admiratione adhuc sunt Templorum, Theatri, Cryptoporticus, Xystorum, Fontium & Balneorum rudera, atque immensæ molis substructiones, quibus Solum natura inæquale ars in æquam superficiem complanavit. Cardinales Atestii, Medicei, aliique Principes Viri non pauca Simulacra, Signa, Anaglypha, & pretiosa marmora sæpe mirati sunt ex Villæ ruinis, Effossorum, quos apposuerant, manibus eruta, quorum exemplum secuti, qui terræ egestiones sequenti ætate tentarunt, præclarissima Romanorum monimenta in lucem hominum eduxerunt. Cum ego quoque rerum antiquarum amore tenerer, ad easdem vetustatis reliquias perquirendas animum appuli. Neque spem fefellit eventus; statim enim ac Effossores apposui ad illam Villæ partem, quæ supra Canopum est ad austrum, reperta sunt duo Centaurorum græca Simula-*

mulacra admirandæ, inimitandæque artis Aristeæ, ac Papiæ Sculptorum Aphrodisiensium, quorum nomen ad hanc usque ætatem in tenebris latuerat; nec non pavimenta ex Musivo affabre compacta, quæ in reliquis Villæ partibus desiderata hactenus fuerant. Hæc Urbem delata Musivariorum opera, atque industria in Tabulas, atque in Abacos transierunt, ne, quod alias aliquorum ignavia contigerat, intercideremt, utque inter pretiosas supellectiles, quibus Nobiliorum ædes ornantur, recenserentur. Parvis marmorum versicolorum lapillis constant, quæ longis itineribus Urbem asportabantur ex Græcia, Numidia, Phrygia, Ægypto, aliisque Romani Imperii Provinciis, tantoque artificio, atque ita eleganti ratione disposita sunt, ut Hadriani ætate quemadmodum cæteræ liberales artes, ita & Musivaria supremum incrementi sui fastigium attigisse videatur. Eoque magis id putandum est post hæc vermiculata opera a nobis reperta, quibus nil præstantius, & excellentius communi hominum consensu ulla adhuc ætas tulit. Hæc autem omnia a Musivariis nostris restituta, ac terræ salibus, & particulis, quæ longa ætate iis adhæserant, expolita, in causa fuerunt, ut recentia cum antiquis conferrem, aliaque multa scitu dignissima observarem. Inde opportunam mihi dari occasionem credidi Musivariæ Artis originem, & progressum investigandi, quod primoribus huc

usque

usque labiis, ac satis jejune nonnulli attigerunt. Hinc ea, quæ vel apud Veteres, vel apud Recentiores hac de re occurrebant, vel a me observata fuerant, in adversaria conjeci, unde hæc succrevit Opella, quam rerum antiquarum amatoribus non ingratam futuram puto, si animum ad argumenti nobilitatem convertant. Solent autem, qui scribunt materiam, quam sumunt, longis præfationibus commendare, ejusque dignitatem, & utilitatem extollere. Alia mihi mens est, qui sciam nulli ignotum esse, quanta sit veterum Musivorum præstantia. Ornari res ipsa negat; satis est, ut eam, quantum fieri potest, teneamus: qui ante nos fuerunt, non omnia viderunt, non omnia nos vidimus, aut videmus: voluisse in his rebus satis est. Liberum quoque unicuique debet esse judicium; uti nulli irascar, qui a mea discedat sententia, ita æquum est me ea usum fuisse libertate, qua alienam sententiam repudiarem.



IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. Patri Sac. Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolitan. Vicesgerens.

CENSORUM JUDICIA.

Illustriss. ac Reverendiss. Præsulis

MARII MAREFUSCHI

Utriusque Signaturæ Referendarii, & Sacræ Congregationis Rituum a Secretis.

LEGI demandante Reverendiss. P. Augustino Orsi S. P. A. Magistro Opus *De Musivis* Auctore Illustriss., & Reverendiss. Josepho Alex. Furietto Sacrarum Congregationum Concilii, & Residentiæ Episcoporum a Secretis, nihilq. in eo animadverti, quod Catholicæ Religioni, Christianisq. moribus adversetur. Quinimmo Amplissimum Præsulem gravissimis magistratibus summa sui laude perfunctum, & in publicis Apostolicæ Sedis muneribus obeundis maxime occupatum, miratus sum otium nactum esse, ut tam multa, atque egregia e penitiori sacræ, & prophanæ eruditionis thesauro proferre potuerit ad nobilissimæ artis historiam illustrandam: quam licet apud veteres omnium bonarum artium magistros maximo in pretio habitam, & ad miraculum usque excultam fuisse, pauca, quæ supersunt, vestigia demonstrant: Rara tamen, atq. obscura sunt, quæ de ipsa in veterum libris testimonia occurrunt. Quamobrem doctissimum Præsulem Viris eruditis rem gratissimam fecisse puto, cum nobilissimæ artis historiam egregio hoc Opere mirifice illustravit. Ita censeo. Ex Ædibus meis Octavo Kalendas Septembris MDCCLII.

Illustriss.

Illustriss. ac Reverendiss. Præsulis

NICOLAI ANTONELLI

Canonici Basilicæ Lateranensis, Utriusque Signaturæ Referendarii, ac Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium, & Consistorii a Secretis.

MUsivariæ Artis originem, & progressum hactenus jejune tractatum singulari eruditione, præclaro ordine, & eleganti sermone Clarissimus Præsul Joseph Alexander Furiettus exposuit, cujus Opus *De Musivis* inter varias, ac multiplices Romanæ Curiæ occupationes docte ac diligenter elucubratum eadem animi voluptate perlegi, qua semper admiratus sum præclara Romanæ antiquitatis monumenta, Centaurorum Statuas, Tabulas Musivas, aliaq. hujusmodi, quæ non mediocri impensa, summoque studio e ruderibus, terræque sinu egesta domi suæ accurate servat bonarum artium commodo atq. utilitati. Quare & publica luce illud dignissimum censeo, & doctis hominibus, rerumque antiquarum amatoribus gratissimum fore, immo impense laudatum iri, minime dubito. Ex Ædibus meis Quarto Idus Septembris MDCCLII.

IMPRIMATUR.

F. Jo. Augustinus Orsi Ord. Præd. Sac. Palatii Apost. Magister.

DE

DE MUSIVIS
CAPUT I.

De multiplici Musivorum nuncupatione, deque variis eorum generibus.



USIVI appellatio non una est Scriptorum sententia, unde manaverit, immo variato persæpe nomine usurpata vox est. MOSIBUM in pluribus MSS. Codicibus, & in Gruteri Thesauro legisse Ciampinus (*a*) testatur. MUSEUM quandoque dictum, ut apud Trebellium Pollionem (*b*): *Tetricorum Domus, hodieque extat in monte Cœlio inter duos lucos contra Isium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens, Senatoriam dignitatem, accipiens ab his Sceptrum, Coronam civicam, picturatam de MUSEO*. Et ex antiqua epigraphe Florentiam delata operâ Cardinalis Medicei, quæ prope Tunetum reperta fuit, ut refert Sponius (*c*) quamque denuo subjicimus.

A .... ATA

(*a*) Vet. Moniment. par. 1. cap. 19. pag. 79.
(*b*) In Tetrico juniore.
(*c*) Recherch. Curieus. d' Antiquitè Differt. 2.

. . . . ATA PECVNIA PERFECIT
ET DEDICAVIT ET OB DEDI
CATIONEM
PVGILVM CERTAMINA EDIDIT
ET DECVRIONIBVS
SPORTVLAS ET POPVLO GYMNA
SIVM EPVLVM DEDIT
ET HOC AMPLIVS PRO SVA
LIBERALITATE CAMERAM
SVPERPOSVIT ET OPERE MVSEO
EXORNAVIT
. . . . . CVM . . . ARVIS . . . FELICE
ET RVFINO
. . . . DED . . . . OB QVAM DEDICAT . . .
EPVLVM DEC. ET POPVLO FRVM. DED.

Et inter Donianas inſcriptiones apud præſtantiſſimum Gorium (*a*) CAMERA OPERE MUSEO EXORNATA. Unde qui hanc artem profiteretur, Muſejarius vocatus, ut apud Gruterum (*b*).

T. JVLIVS AVG. LIB.
NICEPHOR. MVSEIAR.
FECIT. SIBI. ET.
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQ. EORVM

Placuit Mario Grapaldo (*c*) MUSEACUM, aliis verò MOSIACUM appellare, exiſtimantibus corrupto nomine MUSIACUM uſurpari, quos tamen reprehendit Joſeph Scaliger (*d*) atque in eadem eſt ſententia Joannes Gerardus Voſſius, (*e*) qui varias hujus nominis nuncupationes

(*a*) Lib. 1. cap. 8:
(*b*) Pag. 558. 3.
(*c*) De partibus Ædium lib. 2. verbo PAVIMENTA.
(*d*) In not. ad lib. 5. Manilii.
(*e*) Cap. 11. lib. 1. de Vitiis Sermonis.

tiones collegit. Aptius itaque MUSIVUM dici Spartiani authoritas (*a*) ſuadet: *Hunc in Commodianis hortis in porticu curva pictum de MVSIVO inter Commodi amiciſſimos videmus ſacra Iſidis ferentem*. Idem habemus ex epigraphe in agro Interamnenſi reperta apud Clariſſimum Muratorium (*b*).

FONTEM. HVNC. LYSIVM
QVEM. C. LYSIVS. C. L.
SECVNDVS. PATER. CONSTR
VXIT. C. LYSIVS. POSTVMVS
OPERE MVSIVO EXORNAVIT.

Hinc *Muſivarios* Artifices vocat Conſtantinus Magnus in Lege ad Maximum data (*c*), ut obſervat Pancirolus (*d*); & doctiſſimus Gothofredus hanc legem illuſtrans putat malè *Muſearios* vocari in Cod. Juſtinianeo, in *L.* 1. *de excuſat. artific. lib X.*

Vocis autem hujus originem alii ab hebræa radice derivarunt, ut refert Ciampinus (*e*) vel a græco nomine μουσίον, ſive verbo μουσιοῦν, hoc eſt *variare* & diverſis coloribus aliquod exprimere, ut explicat Bulengerus (*f*) vel μουσαῖος *Muſivus* a concinnitate, ideſt apte, & eleganter compoſitus, ut loquitur Joſeph Scaliger (*g*). Aliquibus verò viſum eſt a Muſcis deducere, quia minutiſſimis lapillis Muſiva contexta ſint; vel a Muſis, quia opera magno ingenio parta his magis conveniant; ſive quia loca publica, ubi viri doctiſſimi haud infrequentes eſſent, Muſea appellarentur, eorumque pavimenta muſivo exornarentur opere, ut cenſet Sponius (*h*). Author anonymus, qui Commentationem ſcripſit in antiqua monumenta Tigurina editam a Schelhornio, (*i*)

 operi

(*a*) In Peſcennio Nigro.
(*b*) Vol. I. novi Theſaur. Claſſ. 6. pag. CDLXXVIII. num. 7.
(*c*) Cod. Theod. lib. 13. tit. 4.
(*d*) De corporibus Artific.
(*e*) Veter. Monim. par. I. cap. x. p. 79.
(*f*) De Pict. lib. 1. cap. 8.
(*g*) In notis ad lib. 5. Manilii.
(*h*) Recherch. curieuſ. d'Antiquitè Diſſert. 2. pag. 29.
(*i*) Amænit. Litterar. tom. 7. §. 7.

operi huic ab inventore nomen inditum censet; Inventorem verò Musim Artificem quemdam putat authore Pausania; (*a*) sed hae, ut mea fert opinio, difficiles sunt nugæ, cum nihil certi habeamus, & volens lubens sinam, ut quisque suum sensum habeat; de re siquidem inquirendum; disputationes de origine vocis aliis relinquimus.

Minima, ac tenuissima mirabili huic Arti primordia dedit secandi marmoris inventum, quisquis *importuni ingenii vir*, ut Plinii verbis utar (*b*), hoc prius aggressus est. Opus ab initio simplicissimum, quo versicolorum marmorum crustis pavimenta sternerentur, cui perficiendo satis erat secandorum marmorum ratio. Prius namque marmora in fodinis cædi a Lapicidis oportuerat, eaque per Marmorarios secari, & expoliri, quàm ad amussim, & normam Quadratariorum operâ formarentur, ut ex variis coloribus permixta ædium parietibus non minus, quàm pavimentis ornamento essent. Ex hac secandi marmoris arte, quam vetustiorem fuisse picturâ, & statuariâ, quarum utraque cum Phidia initium habuit, Olympiade LXXXIII., Plinii testimonio compertum est, (*c*) inventum manavit, quod primum grandioribus marmorum crustis, hisque variegatis, & in diversas formas resectis constitit; inde exquisitus pavimentorum luxus, ut nobiliorum ædium splendori humiliorum etiam partium cultus accederet, eò usque processit, ut in minutissimos lapillos marmora cæderentur, qui mirando artificio dispositi, varioque colore permixti picturam ipsam æmularentur. Hæc mihi simplicissima, ideoque verior rei, atque artis origo videtur, hic progressus, ut fert humani ingenii natura. Hinc varia illa Musivorum genera toties memorata veteribus, Sectilia, Tessellata, Lithostrota, de quibus inde agam singillatim, Musivorum esse genera dico, non Pavimentorum, ut Salmasio (*d*) visum, & P. Ludovico de la Cerda, qui (*e*) post Anastasii loca, quæ affert, subdit: *Quibus, & aliis infinitis prope locis Musivum*

(*a*) Lib. IV. Cap. 24.
(*b*) Lib. 36 cap. 6. num. 9. pag. 289. tom. 5. edit. Parisien.
(*c*) Lib. 36. cap. 5. pag. 272. tom. 5
(*d*) Ad Spartian. Æl. cap. 6.
(*e*) Adversi. Sacr. cap. 15.

Musivum opus non in pavimento ponit; itaque numquam pavimenta fuere Musiva, quod volunt aliqui, & primæ eruditionis viri, & mihi consensus est cum illis, qui volunt Cameras tantùm, & Apsidas musivo opere perfectas. Adiicit inde Gregorii Turonensis locum, mox pergit: *Est autem Musivum opus, Tessellatum opus: dices pavimenta fieri solita tessellatione quadam, & id ipsum est opus Camerarum: fateor quidem, numquam tamen nomen ipsum Musivi operis datum est pavimentis, sed tantùm Cameris, & Apsidibus, neque in ullo Scriptore invenies: In sacro certissimum est non inveniri, in prophano est certo certius*. Eugepe? Edictiones hæ sunt Ædilitiæ? Videant Eruditi, quæ ista est argumentatio; Anastasius, Gregorius Turonensis, & centeni alii Scriptores, ac veteres Inscriptiones dicunt, hunc, illum exornasse Cameram, Absidem, Trullum opere musivo, igitur Cameræ tantùm, Absides, Trulli, non verò pavimenta opere musivo exornata fuerunt: nihil enim ineptius; illud verò ineptissimum, quod P. la Cerda sentiens vim, atque impetum rationis, (nam pavimenta tessellata fuerunt, & Cameræ, & Absides) fugit ad nomen Musivi. Ego autem fugio disputationes de nominibus, quas Grammaticis dimitto; de re disquirendum puto, ut in qualibet facultate, ita in hac, in qua versamur, materia.

A P. Ludovico la Cerda tacitus hanc eamdem sententiam clepsit Salmasium dumtaxat extollens Anonymus Author Commentationis in antiqua marmora Tigurina, (*a*) qui *hallucinari*, inquit, *omnes, dum Musivum Pavimentis assignant, quod Cameris, & Absidibus proprium: Cameram,* pergit, *Trullum, Absidem legimus ubique de Musivo pictam: Solum autem numquam: tantùm certe interest inter Musivum, & pavimentum, quantùm inter Solum, & Cameram Triclinii &c. nusquam invenies dictum Pavimenta de Musivo picta*. Hallucinatur nempe ipse, hallucinatur Salmasius cum suis *vel centum testimoniis, quibus assertum hoc*, veriùs commentum firmat. Materies, atque opus, non testimonia veritatem demonstrant, & facile ignoscimus Anonymo, P. la Cerda, & Salmasio, quibus hoc antiquitatis genus

(*a*) §. VII. apud Schelhorn. Amœnit. Liter. tom. 7.

genus raro visum; nos, qui Romæ vivimus, qui vidimus innumera Musiva, fidem cunctis spondemus nostram, falsa esse, quæ suo ingenio, non ex oculis fidelibus accepta narrat Salmasius. Pavimenta penè dicam innumera Romæ detecta sunt eodem musivo opere laborata, quo Cameræ, Absides, Fornices de Musivo picta; eadem materia, & forma pavimentorum, quæ Absidibus, Trullis, Cameris, Fornicibus, ut egregie fallantur, qui a loco differentiam educunt Musivorum. Materia, & forma genus faciebant diversum; genus Musivum est, ubi tesserulæ grandiores, vel minutiores, aut minutissimæ unius, vel alterius figuræ, ut infra dicam, ibi Musivum aut Sectile, aut Tessellatum, aut Lithostroton, aut Asaroton, sive id in pavimento fuerit & Solo, sive in Abside, Camera, Trullo: ubi verò Musivum opus imaginem referebat rei alicujus, *de Musivo pictum* dicebant, non verò cum sola esset, & simplex versicolorum marmorum incrustatio. Nescio autem, quid sibi velit idem Author Anonymus Commentationis in Antiq. Monum. Tigur., cum ait eodem §. VII.: *Quidquid ex priscis Authoribus de ratione hujus operis discimus, huc redit, omnem musivi operis artem ad picturam esse referendam*: id si est, jam inficiari non potest pavimenta de Musivo picta; nam Plinius aperte: *Pavimenta originem habent apud Græcos elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithostrota expulere eam*. Emblemata siquidem illa, quæ in pavimentis erant, picturæ ratione laborata fuerant crustulis ex argilla in varios tinctis colores, inde cæsorum marmorum tesserulis. Idem Statio sensus de Tiburtina Manlii Vopisci Villa, loco, quem dabimus infra; idem Athenæo lib. XII. Deipnos. Sed de his clarius agemus. Illud nunc animadvertendum est, ut si quandoque occurrit apud veteres Scriptores Musivorum mentio, quæ picturam præseferre videatur, ut apud Trebellium Pollionem illis verbis: *Coronam civicam picturatam de Museo*; vel apud Spartianum: *in porticu curva pictum de Musivo*, quibus addi possunt S. Augustini verba (*a*): *Et cætera hominum, vel quasi hominum genera, quæ in maritima Platea Carthaginis*

(*a*) De Civit. Dei, lib. 16. cap. 8.

thaginis Musivo picta sunt, falsum judicium proferret, qui penicillo formata censeret, quæ Musivo picta vocarentur, quæque minutissimis, & versicoloribus lapillis apte, atque eleganter contexta, picturæ imaginem referrent, ut male putavit Bulengerus (*a*) perperam interpretatus Trebellii Pollionis verba. Recte Henricus Salmuth (*b*) illustrans Martialis versum (*c*)

,, *Quisquam picta colit Spartani frigora saxi*:

ait Poetam potentiorum Civium luxum celebrasse, quod ædium parietes eis essent Laconico marmore obducti, & quia variegato opere exornarentur, ideo pictos vocavit. Recte quoque Casaubonus (*d*), qui Athenæi verba recensens, ait: *Recentiores imitati Latinos* μουσιοῦν *usurpant pro picturare de Musivo*, μούσιμα *illis opus ejusmodi*, μουσιότης *artifex Musivarius*, ἄνθινα *pavimenta appellat*, *vel picta multis diversis coloribus*, *vel in queis veri flores* depicti,: atque ita intelligendum esse Anastasium Biblioth. (*e*) ubi *picta marmora testulis*, *ac crustis* vocat.

Quis autem artis secandi marmoris author fuerit, non satis exploratum est, an Græcis, Ægyptiis, vel Persis laus hæc tribuenda sit. Plinius (*f*) suspicatur huic invento originem dedisse antiquissimam Halicarnassi Mausoli domum Proconesio marmore ornatam. Pausanias verò authorem facit cædendi marmora ad tegulæ formam Bysam Naxium de Lapicidinis Pentelicis, (*g*) unde ei Statuæ erectæ cum hac epigraphe:

Naxi hæc Latoide fecit solertia Byzæ
Cui primum secta est tegula de lapide (*h*).

Ætas autem Bysæ respondet Regno Astyagis Cyaxaris filii, qui Medis imperavit anno IV. Olympiad. XLV. ut ex clariss. Viro Blasio Caryophilo (*i*).

Anti-

(*a*) De pictur. lib. 1. cap. 8.
(*b*) In annotat. ad Pancirol. de Rebus deperd
(*c*) Lib. :. Epigr. 84.
(*d*) Animadv. in Athenæum lib. 12. cap. 11. pag. 542:
(*e*) In Leone III. Epist. 67.
(*f*) Cit. lib. 36. cap. 6. pag. 287. tom. 5.
(*g*) Eliacor. lib. 5. cap. 10.
(*h*) Pag. 34.
(*i*) Dissert. I. de quarumdam Lapicidinarum Epochis pag. 154.

Antiquissimam apud Ægyptios fuisse hanc artem, atque ad Tosorthri Regis Imperium referendam putavit Syncellus. (a) Ille enim, qui ob medicandi peritiam Æsculapius dictus est, ædificandi sectis lapidibus rationem invenit, regnavitque secundus Rex tertiæ Dynastiæ Regum Memphitarum, quæ initium habuit anno D L V. juxta Aphricani sententiam, vel anno D X L I X, ut vult Eusebius, post Diluvium. Quamvis verò Ægyptii his artibus excolendis haud multum præstiterint, cum interdictum ipsis esset quicquam novi aliis proponere, atque in publicum, quod cæteri a patrio more deflectentes imitarentur, proferre, ut ex Platone (b). *Non licet neque Pictoribus, neque aliis hujusmodi artificibus, qui aliquid effingunt, novi aliquid in medium proferre, aut alia quæpiam invenire, quàm ea, quæ quotidiano Patriæ usu observantur*; fodiendis tamen, secandisque marmoribus multam operam impendisse fidem indubiam faciunt præclarissima Obeliscorum, & Regalium sepulcrorum monimenta, quorum admirandæ moles omnium usque adhuc Ægyptum peragrantium oculis obversantur. Eoque magis hanc artem in more positam apud Ægyptios fuisse, testis est Herodotus, (c) qui Labyrinthum prope Urbem Crocodilorum ædificatum recensens, conclavia, & cubicula, his verbis describit: *Horum omnium lacunar, quemadmodum parietes, lapideum est, sculptilibus passim figuris ornatum, singulæ aulæ maxima ex parte digesto lapide albo columnarum ambitu redimitæ*; nec non Athenæus, (d) qui refert hos non secus, ac Arabes parietes nigris lateribus, & albis variasse, interdum etiam lapide, quem Alabastritem vocant, exornasse. Hoc autem marmor, sive ex montibus Arabiæ excisum, ut existimat idem Caryophilus, (e) sive circa Thebas, ut Theophrasto visum est, Onychen prius dictum, Plinius tradidit (f) ac deinde Alabastritem vocatum. Diversorum marmorum feracissima Regio hæc est, & perpetuis montium jugis Syenem usque producta superior pars Lapicidinarum

(a) Chronograph. pag. 56. 57.
(b) II. De Legibus pag. 656.
(c) Histor. lib. 2. n. CXLVII.
(d) Lib. 5. pag. 206.
(e) Pag. 95.
(f) Lib. 36. cap. 7. p. 292 293. tom. 5.

dinarum vestigia servat adhuc, unde Columnarum, & Obeliscorum immensæ moles excisæ sunt.

Persis quoque hanc secandi marmoris artem fuisse, luculentam fidem facit Paraphrastes Chaldæus, (*a*) illis verbis: *Ecce ego straturus sum alabastrite lapides pavimenti tui*. Nec mirum sane Persas hanc ante omnes artem excoluisse, cum, ut ex Xenophontis OEconomico patet, *non agriculturam modò, sed & artificia omnia accuratè Præsides Provinciarum, Urbibusque, & Arcibus Præfecti tueri volebant. Ergo omnis generis opificum numero affluentem Persidem nulla, vel ad necessarios usus, vel ad voluptates comparandas opificia desiderasse constat*, ut observavit Brissonius. (*b*) Nec Persidi nobiliora marmora, quæ ibi gignerentur, defuisse certum est, ut Regibus, quibus pro more erat delicate, ac molliter vivere, ac sumptuosior cibi, vestium, aliarumque rerum cura esset, elegantiores quoque ædes fierent, pavimentis marmoribus stratis.

Antequam verò marmoraria pavimenta explicemus, quibus initium secandorum lapidum inventum dedit, pavimentorum originem, variaque eorum genera disquirere operæ pretium existimavimus, ut faciliori, quo fieri potest, gradu ad Musivum, diversasque ejus species referendas sermonem deflectamus. Pavimenta igitur a paviendo, sive feriendo, dicta sunt, ut ex Varrone, (*c*) Columella (*d*) Catone (*e*) & Cicerone (*f*) liquet; ipsum autem instrumentum, quo feriuntur, pavicula vocatur, ut habetur ex Philandro ad Vitruvium, (*g*) & Bergierio. (*h*) Quomodo verò pavimenta fierent clare explicat Franciscus Marius Grapaldus (*i*) his verbis: *Pavimenta autem sunt a pavire, quod ferire significat, quia fiebant, & fiunt è lapidibus, & testulis bene percussis, addita calce, fractis etiam testis utendo, sic ut firmiores durent, tusis addita calce, quæ vocant Signina, sunt hæc barbarica, & testacea, Latini festucas subjiciendo gannea nuncuparunt*.

(*a*) Esai. 54. 11.
(*b*) De Regno Persarum lib. 2. p. 224.
(*c*) De Re rustica lib. 1. capit. 51.
(*d*) Lib. 1. cap. 6.
(*e*) Cap. 18.
(*f*) De Divinat. 110.
(*g*) Lib. 7. cap. 1.
(*h*) Des grands chemins del' Empire Rom. livr. 2. chap. 11.
(*i*) De partib. Ædium, lib. 2. verbo PAVIMENTA.

Alia autem pavimenta *ſubtegulanea* appellantur, quæ ſunt ſub tegulis, ideſt in cavis ædium, alia *ſubdialia*, quæ aperto cœlo exiſtunt, ut diſtinguit Vitruvius (*a*) ubi regulam tradit, qua conſtruenda ſint ſubdialia pavimenta, ut non minus Solis æſtum, quàm hyemale gelu innocue ferre queant. Hi igitur, qui pavimenta conſtruebant, Pavimentarii dicti ſunt, quos primum innotuiſſe ex tabula Antii reperta, & in Muſeo Albano repoſita obſervavit præſtantiſſimus Vir Antonius Franciſcus Gorius, (*b*) qui aliam refert (*c*)

GENIO COLLEGI
PAVIMENTARIORVM
M. ALFIVS ONESIMVS
DEDIC. K. MART.
M. SIL. L. NORB. COS.

Neque hoc nomine muſivarios Artifices complecti poſſe in comperto eſt; ſuperſunt enim antiquæ epigraphæ, in quibus Muſivariorum fit mentio. Pavimenta verò Signino opere inducere aliud non erat, niſi teſtis tuſis addita calce, ea conſtruere, & ideo Signinum vocatum, quia apud Signinos teſtæ excellentiores eſſent, ut putat Joannes Laetus (*d*) quo pavimenti genere Veneti ad luxum utuntur. Nobis autem de hac pavimentandi ratione inſtituendus ſermo non eſt, ſed de iis tantùm, quæ lapillis marmoreis, vel encauſto pictis integerentur.

Hæc autem Pavimenta grandioribus prius marmorum cruſtis in diverſas formas reſectis, & perſæpe multiplici colore variegatis obducta ſternebantur, prout ea majori, vel minori cultu ad ædium luxuriem conſtruenda locarentur. Hujus inde generis pavimento *Teſſellati Sectilis*, *Segmentati* nomen eſt datum, quia diverſorum Marmorum teſſellæ miro artificio diſpoſitæ ſimul aptarentur, donec Muſivariorum ſolertia, in minutiſſimas

(*a*) Lib. 7. cap. 1. pag: 128.

(*b*) In Annot. ad Donianas Inſcript. Claſſ. 1: pag. 64.

(*c*) Claſſ. [illegible]

(*d*) Com[illegible] viicap. 2.

nutiſſimas partes diviſis teſſellis marmorum, ornatiora fecit pavimenta.

Sectilium, & teſſellatorum opera prior diſtinxit Vitruvius (*a*) cujus verba non abs re erit hic referre: *Supra nucleum ad regulam, & libellam exacta pavimenta ſtruantur, ſive ſectilibus, ſive teſſeris*, quibus verbis factum eſt, ut viri docti, dum differentiam quærerent inter *ſectilia, & teſſellata*, in diverſas abierint ſententias, quas referre in commune legentium commodum eſſe ducimus, & noſtrum, qualecumque illud ſit, judicium Eruditorum cenſuræ ſubiicere. Philander (*b*) *Sectilia vocat parvas cruſtas in varios interdum colores, ideſt opus amuſſeatum, ſive Muſeacum, ſive Muſivum, vulgo Muſaicum vocamus. Per teſſeras autem, quadrata grandia*: atque ita Vitruvii locum explicat. Sectilium, & teſſellatorum diſtinctionem agnovit quoque Salmaſius (*c*) Vitruvii authoritatem ſecutus, quamvis nonnulli perperam interpretati Vitruvii verba ad ejuſdem rei ſignificationem demonſtrandam ſectilis, & teſſellati vocabula promiſcue aſſumant. Salmaſius tamen, licet Vitruvii ſententiæ adhæreat, ſectilia à teſſellatis disjungens a Philandri interpretatione diſcedit, ubi explicat, quænam ſectilia, atque teſſellata vocentur; Priora enim ad ea tantùm referenda exiſtimat, quibus pavimenta, ideſt lapillis ſectis ex diverſæ ſpeciei, & coloris marmoribus ſternerentur; poſteriora verò illa ſola nuncuparentur, quæ ex parvis teſſellis, hoc eſt calculis in varios colores tinctis formarentur. Aliam amplexus eſt ſententiam Bernardinus Baldus, (*d*) qui Philandri commentum improbans teſſeras putat Muſivis tantùm congruere, ſectilibus verò grandiores marmoris cruſtas deſignari: *Ego contra teſſeras puto ad Muſivum opus pertinere; Sectilia verò ſecti marmoris eſſe quadrata grandia. Certe Latinis teſſera eſt forma cubica. Dadum dicimus nos, unde opus ipſum ideo teſſellatum dicitur, quod ejuſmodi formæ lapillis ſit compactum, ut Romæ videre eſt in vetuſtis Eccleſiarum pavimentis*;

(*a*) Lib. 1. cap. 1.
(*b*) Lib. 7. cap. 1.
(*c*) Ad Plinian: Exercit. pag. 1214.
(*d*) De Significat. Vocabul. Vitruvian. verbo TESSERA.

mentis; *& Venetiis in Templo Augustissimo D. Marci*; *Senis quoque*, *& alibi*: Atque in hac eadem sententia sunt Joannes de Laetis (*a*) necnon Perravultius, (*b*) quorum prior tessellati, non lithostroti vocabulum musivis operibus tantùm aptari atque convenire censet; alter verò tesseris musiva tantùm complecti posse existimat, quia tesseræ figuram quadratam, seu cubicam habeant. Ab horum interpretatione longe progressus Ciampinus tessellatum illud putat, *quod e diversis versicolorum marmorum crustis in formas diversas resectis elaboratur in quadrati videlicet formam*, *quadrilateri*, *trianguli*, *sectionis conicæ*, *sphæricæ*, *sive circularis*, *pentagoni*, *hexagoni*, *octagoni*, *& aliarum geometricarum figurarum*. Sectile verò post tessellatum inventum esse, *in quo tribus*, *aut duobus tantummodo diversorum colorum marmoribus*, *hominum*, *& animalium figuræ repræsentantur*. Musiva itaque ab utrisque disjungit, nec inter tessellata, vel sectilia recenset, immo ab antiquis post tessellatum, ac sectile adinventa fuisse non improbabili conjectura argui posse existimat. Nulla sectilium, & tessellatorum habita ratione, triplicis distinctionis fœdere, Musivorum species complectitur Bergierius, (*c*) atque Pavimenta, quæ parvulis marmoreis lapillis integuntur, vocat segmentata; quæ ex lapillis igne coloratis coalescunt, musiva; quæ verò formam aliquam hominum, vel animalium haberent, vermiculata; Tessellati operis mentionem facit Blanchinius (*d*) illud vocans, quod grandioribus marmorum crustis construitur, ubi uncia pedis Romani vix novem, & quandoque quatuor crustas tantùm complectitur, atque improprie Musivum dici.

Nos verò inter diffidentium Scriptorum sententias, non tamen aliorum conjecturas rejicientes proprium ferre judicium audemus, quos longa Musivorum tractatio, proximè elapsis annis, e terra egestorum docuit non minus, quàm ea, quæ sparsim edita de Musivaria arte percepimus. Vitruvius laudato loco, cum pavimentorum parandorum præcepta, & regulas traderet, nullam dubitandi rationem reliquit sectilibus, & tesse-

(*a*) Comment. ad lib. 7. Vitruvii cap. 1.

(*b*) Comment. ad lib. 7. Vitruvii cap. 1.

(*c*) Lib. 2. cap. 12.

(*d*) Cap. 2. Inscript. Sepulcr. Libert. & S[illegible]r. Liviæ.

& tesseris Musivaria quoque pavimenta comprehendisse, quæ ipsius ætate magno in pretio erant, & maxime frequentabantur ad exornanda non minus publica Urbis ædificia, quàm privatas potentiorum civium ædes; hæcque communis est Interpretum omnium sententia, nisi affirmare quis audeat, illum de Musivariis verba facere consultò omisisse, dum artem, qua sui temporis pavimenta conficienda essent, apertè doceret. Principiò itaque dicimus deceptos eos, qui differentiam inter sectilia, vel tessellata repetunt vel a colore, sive naturali, sive arte picturæ, atque ignis vi coctilibus indito, vel a magnitudine tesserarum, & crustularum, ita ut majoribus unum, minoribus alterum nomen tributum fuerit. Ut ut verum sit, crustulas, tessellasque marmorum, quibus Musiva opera Pavimentorum, sive aliarum partium ædificiorum elaborata erant, majores, minoresque fuisse, non tamen verum est, opus illud majoribus, vel minoribus tessellis laboratum, sectile, vel tessellatum dictum fuisse a magnitudine, vel tenuitate crustularum; Tessellatum, & sectile nomina sunt, quæ non magnitudinem, sed *figuram* calculorum distinguebant. *Tessellata* Pavimenta dicebantur, quæ calculis cubicæ figuræ composita erant: *Sectilia* verò dicebantur, quæ laborata erant crustulis, calculisque figuræ cujuscumque: Locus ipse Vitruvii, quem supra dedimus, manifestò id demonstrat, ut mirum profecto videatur viros doctos ancipites, diversosque fuisse in hac disquisitione. *Cum ea* [pergit Vitruvius] *pavimenta extructa fuerint, & fastigia extructiones habuerint, ita fricentur, ut si sectilia fuerint, nulli gradus in scutulis, aut trigonis, aut quadratis, seu favis extent; sed coagmentorum compositio planam habeat inter se directionem. Si tesseris structum erit, ut ea omnes angulos habeant æquales, nullibique a fricatura extantes.* Hanc loci hujus observationem mihi surreptam post hæc scripta vidi ab Anonymo Authore Commentat. in Antiq. Monumen. Tigurin. §. VI., quam dedit Schelhornius Amoenit. liter. tom. VII.

Tenemus igitur ab antiquis Scriptoribus, nomina, quæ materiem exprimunt, qua pavimenta laborata essent, & ob id ceromata, asarota, lithostrata dicebantur; tenemus nomina, quibus *figura* lapillorum, & calculorum designabatur, ab

ab eaque teſſellata, vel ſectilia pavimenta nominata fuerunt: ignoramus verò quo nomine muſiva opera vocarentur, habita ratione magnitudinis, atque exilitatis cruſtularum, & lapillorum. Figura calculorum, quæ nominibus ſectilium, & teſſellatorum pavimentorum deſignatur, nihil proficit ad magnitudinem eorumdem calculorum exprimendam. Licèt enim cruſtulæ ſive trigonæ, ſive oblongæ, ſive favæ, aut hexagonæ e marmoribus exciderentur, atque ita in diverſas formas dividerentur, ut loco, & rei, quæ repræſentanda erat, congruenter aptari poſſent ab artifice muſivario, hæ tamen cruſtulæ diverſæ magnitudinis eſſe potuerunt, marmoribus vel in grandiores, vel in minutos, vel in tenuiſſimos lapillos reſectis. Teſſeræ verò, etſi geometricam figuram, quæ cubus vocatur, habuerint, non tantùm minutiſſimos, tenuiſſimoſque lapillos ſignificare poterant, ſed opus quoque, quod cruſtis grandioribus, licèt in cubicam formam reſectis, conſtaret: Cubica itaque lapillorum forma non facit, ut ex ea Muſivorum ſpecies poſſint dignoſci. Salmaſius verò, qui ſectilia uſurpat ad Muſiva lapillis marmoreis explicanda, & lapillos encauſto pictos ad teſſeras refert, longe a veri ratione recedit. Eadem enim ſtructuræ ratio, atque ars ſervanda erat, ſive marmoreis, ſive igne coloratis lapillis pavimenta ſternerentur, atque idcirco & minus vera, & minus apta diſtinctione uſus eſt ad Vitruvii locum interpretandum.

Non omnia equidem pavimenta muſivis operibus adnumeranda ſunt; quæ marmoreis tabulis incruſtata, ad rem muſivariam non pertinent; quæ grandioribus lapillis, ſive ſectilia fuerint, ſive teſſellata, & ſive marmorëis, ſive pictis, & igne coloratis cruſtis laborata Solum operiebant, vix muſivis operibus accenſenda, quamquam id aliquibus viſum ſit, inter quos Julius Cæſar Bulengerus, (*a*) & Du-Cange (*b*). Hoc enim pavimenti genus tanquam grandioribus marmorum fruſtulis compactum, quamvis nitidum fuerit, & expolitum, longe tamen abeſt ab alia pavimentorum ſpecie, quæ longa Muſivariorum artificum operâ, atque parvis lapillis ſtrata quotidie

(*a*) De pict. lib. 1. cap. 8.

(*b*) In Gloſſ. verb. MUSIVUM.

tidie cernimus & in Urbe, ac ex Suburbanorum ruinis sæpe ad hæc nostra tempora egerimus. Quippe qui grandioribus crustis pavimenta sternendi artem bene callent, non inde aptos, atque idoneos musivario operi sternendo invenies, quibus necessarium est & multiplices colorum gradus distinguere, & optimam delineandi rationem tenere, ut ea, quæ parvis lapillis in unum compactis exhibent, picturam ipsam æmulari videantur. Musivariis operibus proprie tribuenda sunt, quæ minutis, aut minutissimis calculis, lapillisque constabant, sive ea tessellata, sive sectilia vocemus, segmentata, spicata, lithostrota, asarota, vermiculata: sectilia, & tessellata figuram, ut diximus, non magnitudinem lapillorum exprimebant: alia potius nomina magnitudinem crustularum indicant. Eadem igitur ac Sectilia, quamvis diversa nuncupatione, dicimus esse *Segmentata*, cum a sectilibus nihil differant figuræ ratione, differant licèt tenuitate, atque exilitate lapillorum: Segmenta enim nihil aliud sunt, quàm particulæ a marmoribus avulsæ, & excisæ, teste Plinio (*a*): *Crassior arena laxioribus segmentis terit, & plus erodit marmoris*: Unde segmentata pavimenta illa sunt, quæ parvis marmorum lapillis a musivariis Artificibus construuntur, non crustis grandioribus, quibus segmenti nomen non convenit: Pausanias ideo variegatam animalium pellem vocat *Segmentatam*, & maculis distinctam (*b*). Eademque ratione ad demonstranda lignea ramenta varie picta, quibus puerorum cunæ formarentur, hoc vocabulo usus est Juvenalis (*c*).

Et segmentatis dormisset parvula cunis.

Quandoque etiam usurpata segmenti vox ad monilia significanda, immo etiam ad indicandas extremas vestium partes, ut idem Juvenalis cecinit, (*d*)

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit.

Atque Ovidius meminit (*e*)

Quid de veste loquar, non jam segmenta requiro.

His

(*a*) Lib. 36. cap. 6. pag. 290. tom. 5.
(*b*) Arcad. lib. 8. pag. 287. edition. Florent.
(*c*) Sat. 6.
(*d*) Sat. 2. 13.
(*e*) De Arte amandi lib. 3. 34.

His adjungimus Magni Felicis Ennodii Ticinenſis Epiſcopi verba; *Quo in Segmentis poſito, quæ ab hoſtibus ſumpta fuerunt arma, tremuerunt* ideſt (ut Sirmondus exponit) *Quamdiu Conſul fuit in Toga picta, ſeu palmata veſte Conſulari, quæ Segmentis aureis ornari ſolebat*: (*a*) *Spicata* verò quandoque dicta, quia lapilli ſimul juncti ſpicæ ſimilitudinem redderent. Hæc pavimenti ſpecies à Vitruvio memoratur, (*b*) & in Epigraphe, quam exhibet Muratorius (*c*).

P. RVBRIVS TROPHIMVS ET
RVBRIVS AGATHOS C. L. ATRIVM
REFECERVNT ET VERMICVLVM
STRAVERVNT ITEM PAVIMENTVM
SPICAM STRAVER. ET SEDILIA
CIRCVMITVM REFECERVNT INPENSA SVA
L. NONIO TORQVATO ASPRENATE
T. SEXTIO MAGIO LATERANO COS.

Sed hæc muſivi ſpecies ad formam potius, & diſpoſitionem totius operis, quàm ad magnitudinem, vel tenuitatem lapillorum pertinet.

Quod autem à Latinis Sectile, ſive Segmentatum dicebatur, Græci λιθόστρωτον vocarunt a λίθος *Lapis*, & στρωτός ſtratus a verbo στρώννυμι. Ac quamvis laxiori vocabuli ſignificatione omnibus pavimentis aptetur, quæ lapidibus integuntur, atque, ut obſervavit Ciampinus, (*d*) etiam publicas vias complectatur, quæ lapidibus ſternerentur, quod à Pœnis primò inventum per omnes deinceps Romani Imperii Provincias mirabili ſtudio propagatum fuit; tamen Lithoſtroti nomine proprie uſi ſunt Latini ad explicanda, deſignandaque pavimenta, quæ parvis marmorum lapillis formata cernerentur. Indubiam hujus rei fidem facit Plinius his verbis

(*a*) In panegyr. Theodorici Reg. & ibi Sirmond. in notis ad Ennodii Panegyric. pag. 1597. & 1598. tom. 1.
(*b*) Lib. 1. cap. 1.
(*c*) Tom. 1. Inſcript. Claſſ. 5. pag. 314. 2.
(*d*) Vet. monim. cap. 10. par. 1. pag. 79.

bis (*a*): *Lithostrata captavere jam sub Sylla: parvulis certè crustis extat hodieque, quod in Fortunæ Delubro Præneste fecit*: & Lithostrotorum priùs Varro meminerat (*b*). *Cum enim Villam haberes opere tectorio, & intestino, ac pavimentis nobilibus Lithostrotis spectandam, parum putares esse, ni tuis quoque literis exornati parietes essent*. Accedit quoque Julius Capitolinus (*c*) cujus verba hæc sunt: *Instituerat* (ideſt Gordianus) *porticum in Campo Martio sub colle pedum mille, ita ut ab altera parte æque mille pedum porticus fieret, atque inter eas pateret spatium pedum quingentorum, cujus spatii hinc, atque inde viridaria essent, lauro, myrto, & buxo frequentata: medium verò Lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille, quod esset deambulatorium*.

Idem habetur ex Evangelio D. Joannis, (*d*), & apud recentiores, inter quos recenſendus eſt Iſidorus, (*e*) ubi ait: *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ; Lithostrota parvulis crustis, ac tessellis junctis in varios colores*; Nec non Grapaldus (*f*) *Lithostrota e parvulis crustis marmoreis, quasi pavimenta lapidibus strata*; quibus addi debet Iſaacius Caſaubonus (g) qui ait: *Cicero porticum domus suæ pavimentatam ait in oratione pro domo, ideſt arte pavimenti, ut Lucilius dixit. Græci quoque* λιθόστρωτον *hoc pavimenti genus vocarunt, & e Latinis Varro, & Plinius*.

Lithoſtrota itaque appellantur ea muſiva opera, & præſertim pavimenta, quæ parvis marmorum verſicolorum lapillis variata fierent, atque exornarentur, quæ prius Græci, deinceps Latini ἀσάρωτα quoque vocarunt; Hoc autem eis inditum nomen a verbo σαρόω manavit, quod *verro* ſignificat & σαίρειν ideſt *verrere*, & ſcopis purgare, habemus in Onomaſtico Pollucis (*h*). Hinc σάρον inſtrumentum illud eſt, quo pavimenta verrere ſolemus; Quare cum hujuſmodi pa-

C vimenta

(*a*) Lib. 36. cap. 65. pag. 343. tom. 5.
(*b*) De re ruſt. lib. 3. cap. 1.
(*c*) In Gordiano hujus nominis III.
(*d*) Cap. 19.
(*e*) De Origin. lib. 15. cap. 8.
(*f*) De partibus Ædium lib. 2. verbo PAVIMENTA.
(*g*) Animadv. ad Svetonium lib. 1.
(*h*) Lib. 10. cap. 5.

vimenta verri non patiantur, nec nisi vulgari albo linteolo ea detergi, ac expoliri oporteat, ideo præposita literâ A, quæ apud Græcos negationem facit, ἀσάρωτα nuncupata fuerunt, ut observavit Lilius Gregorius Gyraldus (*a*). Præclarissimus verò testis erit Plinius, (*b*) qui Pergamensis Asaroti celebritatem extollit his verbis: *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithostrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami stravit, quem vocant Asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, velut relicta, fecerat parvis e testulis, tinctisque in varios colores.* Plinii testimonio aliud Papinii addimus (*c*) qui dum Tiburtinæ Villæ, quam ad Anienis ripas Manlius Vopiscus excitaverat, delicias, splendoremque canit, laquearium, pavimentorumque nitorem describit.

Calcabam nec opimus opes; nam splendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra testæ
Monstravere solum, varias, ubi picta per artes
Gaudet humus; superatque novis Asarota figuris.

Hinc pavimenta illa, quæ parvis lapillis varie tinctis strata sunt, asarota vocavit Sponius (*d*) & asaroticos lapillos recensuit Sidonius Apollinaris in Narbone, ut animadvertit Joseph Scaliger (*e*) Vermiculata verò opera ea dicimus, ubi tenuissimis lapillis, rerum, animalium, hominumque imagines effinguntur, quibus formandis, si excellens artificis manus accesserit, picturam ipsam æmulari videantur. Huic sententiæ authoritatem fecit Plinius (*f*) cujus verba oppertunum erit referre. *Nunc verò*, idest pictura, *in totum marmoribus pulsa jam quidem & auro: nec tantùm ut parietes toti operiantur, verùm & interraso marmore, vermiculatisque ad effigies rerum, & animalium crustis.* Plinii verba usurpavit Gutherus vermiculato operi significando,: *interraso enim marmore, vermiculatique ad effigies rerum, & animalium crustis parietes,*

(*a*) Pag. 470.
(*b*) Lib. 36. cap. 25. pag. 340. to. 5.
(*c*) Lib. 1. Sylvarum.
(*d*) Recherch. curieus. d' antiqu. differt. 2. par. 28.
(*e*) Ad lib. 5. Manilii.
(*f*) Lib. 35. cap. 1.

etes, & pavimenta operiebantur (*a*) nec aliter Pancirolus censuit, (*b*) qui ait: *Sunt qui emblemata, seu opus vermiculatum ex tessellis marmoris varii coloris in homines, & varias animalium formas effingunt, vulgo Musaicum vocant*. Gothofredus quoque legem illustrans (*c*) Maximo inscriptam, ubi de Musivariis verba facit, sic ait: *Faciebant nempe opus vermiculatum in varias figuras*. Vermiculati vocabulum ad minutos musivo opere lapillos designandos primum innotuit ex Lucilianis versibus. (*d*):

Quam lepide lexeis compostæ! ut tesserulæ omnes.
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Sive, ut aliis placet:

Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.

Quæ lectio magis congruit, non solùm ad superfluitatem, utriusque vocabuli tollendam, cum in alterutro eadem sit in illo carmine Musivi significatio, verùm etiam, quia aptius convenit locutioni illius temporis, usurpato *endo* pro *in*; ut pluribus cumulatis exemplis Ennii, Festi, Lucretii, veterum Legum de Jure Sacrorum, aliorumque ostendunt Laurembergius, & Gifanius (*e*).

Horum carminum mentionem fecit Cicero in Bruto (*f*) quibus Lucilius rite exagitat Albutium Scævolam, qui diligentiâ in verborum structura nimis accurata, & operosa uteretur. Nec deest Nonii Marcelli authoritas (*g*) qui vermiculatum pro minuto explicat; cujus sententiæ adhærendum existimat Petrus Crinitus his verbis (*h*): *C. Plinius vermiculatum opus existimat, quod esset variegatis crustis, atque maculosis ad effigiem vermiculi, ut minime sit improbanda Nonii sententia, qua pro minuto vermiculatum exponit*. Quia tamen vermiculus est scalpellum, seu veruncululum Sculptorum, ut ait Bulengerus (*i*) nec vermiculorum figuram referunt parvi lapilli, quibus Musiva coalescunt, Nonii interpretationem, cui viri docti communi consensu acquiescunt, improbat aperte Salmasius (*k*)

 affirmans

(*a*) De jure Manium lib. 2. cap. 29.
(*b*) De Corporibus Artificum c. 11.
(*c*) L. ad Max. Cod. Theod. lib. 13. ti. 4.
(*d*) Ex incerto Satyr. lib. Lucilii.
(*e*) In Antiquario pag. 153. edit. Lugdun. 1622. Indice Lucretiano.
(*f*) Cap. 79.: & clariùs in Oratore lib. 3 cap. 44.
(*g*) De proprietate Sermonis.
(*h*) De honesta disciplina lib. 22. c. 1.
(*i*) De Pictur. lib. 8
(*k*) Ad Plinian. exercit. pag. 1214.

affirmans vermiculatum non pro minuto, ſed pro *miniato* ſcribendum eſſe; Calculi enim ſunt, quibus Muſiva formantur, quæ nullo modo vermiculi figuræ aſſimilantur. Quidquid autem ſit de hac Salmaſii ſententia, quam Nos aliorum cenſuræ ſubjicimus, in comperto eſt apud omnes, vermiculata opera illa tantùm vocari, quæ rerum effigies minutis, variegatiſque lapillis repræſentant. Ex his itaque, quæ huc uſque congeſſimus, colligi poteſt Muſivi vocabulum tanquam genus accipiendum eſſe, quod plures ſpecies complectitur, quarum ſupra meminimus, quaſque, quantùm per nos licuit, abunde demonſtravimus.




CAPUT II.

DE MUSIVIS

CAPUT II.

De Musivariæ Artis origine, ejusque apud Persas, Assyrios, Ægyptios, atque Græcos cultu.



QUÆ fuerit Musivorum construendorum causa, varias illorum species, ac multiplices nominum nuncupationes priori Capite perspeximus. Nunc verò Musivariæ artis investiganda primordia sunt, cui nam Gentium hujus inventi honor sit tribuendus. Etruscos musivarii operis peritiâ excultos censet Vir præstantissimus Marianus (*a*) qui pavimentum in Agro Viterbiensi detectum refert anno MDCCXXV. quod memorant Montfaucon, & Felicianus Bussius (*b*) qui hujus Schema exhibet Musivario exornatum opere, quod Marianus putat ad aliquam partem celeberrimi Fani pertinere, ubi sæpe agitata Etruscorum concilia scribit Livius: *Supra enim congestos lapides, ac rudera ruinosorum parietum, quæ pavimentum illud late operiebant, reperta sunt cadavera cum lacrymarum vasculis, ac tegulis, quem morem apud Ethnicos viguisse ostendit Kirchmannus de funerib. lib. III. cap. XII. Manutius libro de leg. Roman. cap. XVI. Sertorius Ursatus in Mon. Patavin., & Sponius in Miscell. erud. antiquit Sect. IX. rerum funeralium; ac proinde* (infert Marianus) *illud opus Etruscis antiquis referre necesse est*.: Huc usque Marianus, cujus sententiam veram affirmare non auderem, cum a Sullæ tempo-

---

(*a*) De Etruria Metropoli cap. 13. pag. 87.
Tom. 2. Supplem. ad Opus Antiq. lib. 2.

(*b*) Histor. Viterb. par. 1. lib. 1. pag. 53.

temporibus, ut infra ostendam, Musivariam artem apud Romanos in magno pretio habitam fuisse in comperto sit, unde nil vetat, quominus suspicari possimus, Templum, ubi Musivum repertum est, vetustate, sive rerum humanarum vicissitudine collapsum fuisse, nec reaedificatum, ibique Ethnicorum cadavera, vigente adhuc vana superstitione, humo illata; adeoque, quamvis Mariani sententiam omnino expungendam non existimem, non tamen ei adhaerere in animo est, cum nil certi in ea deprehendatur, quo ad antiquos Etruscos hic mos referri possit. Ecque difficilius cum Mariano convenirem, si exoticis variegatis marmoribus Musivum compactum fuisset, quod nos omnino latet, quoniam diuturno tempore sub dio relictum, pruinis, & imbribus disruptum est. Quamvis enim Etrusci liberales artes excoluerint, quibus maxime praestiterunt, non eis tamen tantae erant dominationis vires, nec tanta habitandi luxuria, ut ex longinquis Regionibus magna impensâ marmora asportare in more haberent, quibus pavimenta ornarentur; ut postea Romanorum luxus invexit; neque inter tot antiqua Etruscorum monumenta, quae usque adhuc detecta sunt, inventa fuerint musivaria pavimenta peregrinorum marmorum lapillis coagmentata, quae in effodiendis Romanorum aedificiorum ruderibus saepe occurrunt. Nulla itaque ratio suadet, qua Musivorum inventum antiquis Etruscis tribuendum sit, immo etiamsi hujusmodi pavimentorum genera usu apud ipsos recepta fuissent, ut putavit Cl. V. Franciscus Gorius, (*a*) ob Musivum Hadriae effossum, quod ex schedis Philippi a Turre Hadriensis Episcopi delineatum exhibuit Cl. V. Octavius Bocchius in Observationibus in antiquum Theatrum Hadriae erutum, ubi aliorum duorum Musivorum ibi detectorum mentionem facit, quae ad Etruscos referenda esse existimat, non exinde tamen originem ab illis habuisse dicendum esset, sed ab Aegyptiis potius, vel Graecis in Etruscos derivata viderentur, ut de omnibus artibus liberalibus contigit.

Obscura adhuc essent hujus artis primordia, si quis à Graecis, vel Aegyptiis haec putaret repetenda. Licèt enim horum ingenia non

(*a*) Inscript. Antiq. Par. 3. Tabula 3.

non tam ſcientiarum omnium magiſterio, quàm liberalium artium inventione profecerint, nil tamen certi affirmare poſſumus, Muſivariam artem illorum inventum fuiſſe. Græcia ſiquidem, antequam Muſivorum cultum in populi mores induceret, pavimentorum exornandorum rationem, qua ædes elegantiores fierent, aliam excogitaſſe veriſimile eſt, vel marmoribus reſectis ea integendo, vel qua argillæ, ſive lateribus, quibus ea conſtruerentur, colores ſuperinducerent, ut picturæ ſpeciem exhiberent: Ne verò pedibus ſæpe calcata ſuperficies interiret, colorati laterculi igne coquebantur; antequam conficiendo pavimento admoverentur, quod in ollis, & vaſis fictilibus facere Ægyptios conſueviſſe compertum eſt. Hujuſmodi generis pavimentum Xiſti IV. Pontificis ætate conſtructum viſitur adhuc in Urbe in Eccleſia S. Mariæ de Populo, ubi Cappella excitata eſt, & inſtructa a Familia Roborea. Perſidi itaque, quæ elegantiorum marmorum feraciſſima fuit, Muſivariæ artis primordia nos debere exiſtimat Ciampinus, (*a*) cujus ſententia libri Eſther cap. 1. teſtimonio nititur, ubi imperante Aſſuero, ſive Artaxerſe, inter Regales delicias pavimentorum celebritatem luculenter recenſet ſacer Textus: *Lectuli quoque aurei, & argentei ſuper pavimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat*. Verba ſiquidem, quæ ibi referuntur: *Super pavimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide*, quamvis ad demonſtranda grandioribus reſectis lapidibus ſtrata pavimenta interpretari poſſimus, ut apud Gruterum (*b*) *pavimentum grandibus lapidibus ſtratum*; non inde tamen ibi hoc ſenſu accipienda eſſe manifeſtum fit ex iis, quæ ſubſequuntur verbis: *quod mira varietate pictura decorabat*. Hæc enim nonniſi Muſivarium opus exhibent, quod parvis marmorum lapillis compactum picturam refert, quæ grandioribus haberi nequit, ut ſenſui patet.

Sacrarum itaque literarum teſtimonio colligimus Perſarum in more poſitum, lapillis marmorum, ideſt Lithoſtrotis ædium Regalium pavimenta integere, non encauſto pictis ex vitri materia calculis, quos Muſivariorum deinceps ſolertia, ut fa-

(*a*) Veter. monim. par. 1. c. 10. p. 78. (*b*) Pag. 159.

ut faciliori ſtudio colorum gradus operi exornando haberet, ſuffecit. Neque tamen ſuſpicandum eſt minus apte marmorum lapillis effigies rerum, ac animantium repræſentari; multiplices enim colorum gradus, qui in eiſdem marmorum fodinis reperiuntur, paratam artifici præſtant materiam, qua, variata lapillorum diſpoſitione, concinna, ac veluti pennicillo expreſſa, coaleſcat rei, quæ exhibetur, imago; Atque ſi Plinii teſtimonio (*a*) Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus celeberrimi Pictores, quatuor coloribus ex albis Melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento, atque ex horum commixtione cæteris dein coloribus efformatis, ut ait Ludovicus Demontioſius (*b*) immortalia opera fecerunt, & ut Plinii verbis loquar,: *Tabulæ eorum ſingulæ Oppidorum venirent opibus*; cur non & Muſivarios opera excellentiora præſtitiſſe dicendum eſt apud Perſas, ubi marmorum copia, & multiplices colorum gradus non deerant, nec populis ingenium, quo luxum exquiſiti cultus foverent?

E Perſarum finibus ad Aſſyrios finitimos, & ab his ad Græcos traductam muſivariam artem exiſtimavit Ciampinus (*c*) atque hoc idem prius dixerat Iſaacius Cauſabonus, (*d*) illis verbis: *Tranſiit hic luxus ex Oriente, & caſtris Regum Aſiæ ad Romanos*: Ad Græcos tamen prius defluxit muſivaria ars, ab his verò ad Romanos, ut infra clarius patebit. Illi enim non tam frequentibus, perpetuiſque in Aſiam navigationibus, quam plurimis Coloniis deductis, externos mores adoptaverunt, Perſarumque, quorum Imperium Medis, Lydiſque domitis, & ſubactis, ac Græcorum, qui tunc in Aſia eſſent (*e*) acceſſione, florentiſſimum fuit, artes didicerunt. Ita hæc ars in Græciam invecta ſolerti artificum induſtriâ exculta eſt, adeo ut ad poſtremum incrementi ſui faſtigium perducta, magno fuerit in pretio habita, ac cæteris liberalibus diſciplinis acceſſerit. Hanc enim qui profiterentur, Graphicen prius addiſcere

(*a*) Lib. 35. cap. 7. pag. 193. tom. 5.
(*b*) Comment. de Pictur.
(*c*) Veter. monim. cap. 10. par. 1. pag. 78.
(*d*) Animadverſ. ad lib. 1. Svetonii.
(*e*) Ex Strabone lib. 15. Henr. Steph. de Legib. & Inſtit. Perſic.

discere oportuerat, quam nonnisi ingenuos homines Græcia docuit, perpetuo interdicto, ne ad liberales artes servitia admoverentur, ut ex Plinio scimus, & ex Gothofredo (*a*).

Antequam verò Lithostrota a Græcis in more, usuque ponerentur, pavimentis nobilioribus construendis lapillos ex vitri materia conflatos, varieque pictos ipsi in hanc rem adoptarunt, Plinii testimonio, qui ait: (*b*) *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithostrota expulere eam.* Hunc autem vitri colorandi morem ab Ægyptiis Græcos hausisse existimandum est, non solùm quia in Fusoria arte peritissimos, verùm colorandis quoque rebus assuetos illos fuisse certissimum est. Atque adeo in pretio fuit hæc ars, ut aliqua adhuc (*c*) colorandi vitri peritiâ præstent Ægyptii, quamvis disciplinarum, artiumque omnium cultus apud illos jamdiù interciderit, atque post Saladini imperium belli potius, quàm literarum studiis dediti in tanta rerum ignoratione versentur, qui per tot sæcula scientiarum omnium gloria, turbata licèt, ac sæpe interrupta Regum suorum successione, floruerunt. Vitri quoque materia eis non deerat, quam præstabant Æthiopes, penes quos plurimum vitri gignitur, & passim incolis fit obvium, ut (*d*) ex Herodoto, & Diodoro. Hoc itaque non prius contigit, quàm vitri materiâ inventa, nova ars prodiit vitri frustula varie colorata, & encausto picta in lapillos secandi, ut ita musivariis Artificibus, quibus præstò non essent variegatorum marmorum calculi, non deesset, quod operi perficiendo necessarium ducerent. Quis autem hujus inventor artis fuerit adhuc nos latet, ut observavit Nerius de arte vitraria. Antiquis verò encaustum notum fuisse habemus ex Philostrato (*e*) Plinio, (*f*) & Bulengero (*g*). Hanc itaque Musivorum speciem multo in honore habitam, atque primùm in Græcia

D floruisse,

(*a*) Lib. 35. cap. 36. Cod. Theod. lib. 13. tit. 4.

(*b*) Lib. 36. cap. 25. pag. 340. to 5.

(*c*) Le Mascrier Descript. de l'Egypte lettr. 13. pag. 190., & 193.

(*d*) Lib. 3. c. 24. lib. 2 Bibliot. Histor.

(*e*) Lib. 1. Icon.

(*f*) Lib. 35. cap. 11. pag. 225. & 238. Tom. 5.

(*g*) De Pict. lib. 2. cap. 6.

floruiſſe, luculento Plinii teſtimonio comprobavimus. Quamvis verò tam hæc, quàm alia Lithoſtrotorum ſpecies eamdem artificis peritiam requirant, neque unam ab altera, niſi materiæ, qua utraque formatur, diverſitas diſſimilem faciat; ambæ enim picturæ præſtantiam æmulantes omnium rerum, quas exhibent, imagine veluti pennicillo expreſſa intuentium oculos fallunt, maxime ubi minutiſſimis lapillis formæ compactæ ſint, non grandioribus; majori tamen labore, atque impensâ Lithoſtroti ſpecies perficitur. Huic ſiquidem conſtruendæ oportet lapillos habere ex marmoribus non tantùm diverſi coloris reſectos, verùm etiam magis, minuſque coloratos, ut imaginis, quæ repræſentatur, delineamentis colorum gradibus diſtinctis, picturæ rationem muſivum opus aſſequatur. Prius itaque marmorum verſicolorum copia neceſſaria eſt, ex quibus lapilli ſecandi ſunt, mox artifices evocandi, qui ex ſecatis marmoribus lapillos educant, ut his miro artificio diſpoſitis, muſiva Lithoſtrota efformentur. Altera verò Muſivorum ſpecies facili negotio materiam parat artifici, qua operi conſtruendo manum admoveat, lapillis ex vitro fuſo, varieque colorato eductis. Ut autem hi duriores, ſolidioreſque fiant, ſtamnum, plumbum, & æs vitro commiſcentur, quibus igne ſolutis maſſæ rudes conflantur; Hæ autem calcis inſtar, flammarum vi in pulverem attritæ, immiſſis coloribus, quos velit Muſivarius, iterum igni admoventur, unde breve poſt tempus eductæ in parvas denuo maſſas coaleſcunt, quæ in minutos poſtea lapillos Muſivis conſtruendis idoneos ſecantur. Hunc tamen pavimentorum morem diu Græcia non ſervavit, verùm Lithoſtrotorum uſum invexit, non tam ad luxus oſtentationem, quàm ut firmiora, ac in ævum duratura pavimenta fierent. Neque a longinquis, & valde diſſitis Regionibus marmora aſportanda fuerant, cum in Inſulis, & in mediterraneis Græcorum Provinciis frequentiſſimæ eſſent fodinæ, ubi variarum ſpecierum marmora gignerentur. Hinc Attica ferax erat albi coloris marmorum Hymettii, cujus Horatius (*a*) meminit; & Penthelici, ut authoritate Pauſaniæ

(*a*) Lib. 2. Ode 18.

Pausaniæ in Atticis, & ex Strabone observavit Cl. V. Blasius Caryophilus (*a*). In Laconica effodiebantur Tænarium, & Lacedæmonium, quorum primum inter nigri coloris, alterum verò inter viridis coloris marmora recensebantur, hoc tamen albis nigrisque maculis interstinctum erat, de quo Juvenalis cecinit (*b*).

Et lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

Ita Atracium in Thessalia marmor reperiebatur varios colores exhibens, subviridem, cœruleum, candidum, & nigrum, ut notavit laudatus Caryophilus authoritate Pauli Silentiarii (*c*). Neque in Insulis deerant marmora, quæ fodiebantur: Parium nempe candidissimum, atque tanta simulacrorum copiâ celeberrimum: Thasium, quod una ex Cycladibus producit, albi pariter coloris, ex quo binas Hadriano Imperatori Statuas ab Atheniensibus positas refert Pausanías (*d*): Proconnesium, de quo Mausoli Regis luxum referentes jam verba fecimus, quod gignit Insula inter Parum, & Cizicum posita, estque candidi coloris, sed nigris intermixtum venis: Chium ab Insulæ nomine appellatum, & Carysthium a Carysti Insula dictum viridi coloris marmor, sed maculis aspersum, ut ex Caryophilo (*e*). His autem accedebant & Phrygia, & Ægyptia marmora, quibus Græci artifices uterentur, ut habemus ex Pausania (*f*) *totidem* (idest Statuas) *ex Ægyptio marmore*,: & infra: *etiam positi sunt ex Phrygio marmore Persæ*. Quorum omnium copia in causa fuit, cur Græci artifices variegatis marmorum lapillis musiva opera efformarent, in desuetudinem sensim abeunte pictorum calculorum materia, qui ex vitro fierent, & quibus pavimenta ad picturæ similitudinem exornarentur. Duo eximia hujus generis Musiva nobis Plinius exhibet, (*g*) quæ in florentissima Pergami Urbe mirabili Sosus arte straverat. Plinii autem verba juxta emendatiores Codices hæc sunt: *Celeberrimus fuit in*

 hoc

(*a*) De antiquis marmor. pag. 33. & 34.
(*b*) Sat. 11.
(*c*) De Antiquit: marm. pag. 41. Par. 2. cap. 224.
(*d*) In Atticis lib. 1. cap. 18. pag. 21.
(*e*) De antiquit marmor. p. 60. & 64.
(*f*) In Atticis lib. 1. cap. 18. pag. 21.
(*g*) Lib. 36. cap. 25. pag. 340. to. 5.

hoc genere Sosus, qui Pergami stravit, quem vocant Asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, veluti relicta fecerat parvis e testulis, tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans: apricantur aliæ scabentes sese in Canthari labro. In hujus excellentis artificis nomine omnes Plinianæ editiones mendis, quæ Librariorum vitio in Codices irrepserant, eruditorum virorum diligentiâ, ac studio expurgatæ conveniunt, si nonnullas antiquiores excipias, quibus doctissimus Hermolaus Barbarus, aliique deinceps emunctæ naris viri nondum manus admoverant. Inter mendosas editiones illam, quam typis impressam habemus anno MCCCCLXX., Romæ, in domo Petri, & Francisci de Maximis, quam Joannes Andreas de Buxiis Aleriensis Episcopus Paulo II. Pontifici inscripsit, aliamque, quæ in lucem hominum prodiit Parmæ, anno MCCCCLXXI. opera, & impensa Andreæ Portiliæ, sane reponimus, ubi verba illa: *Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus*: depravarunt in alia verba: *celeberrimus in hoc generosus*; consuetudo siquidem, usuſque illius temporis, quo integra verba non excribebantur, in causa fuit, cur vitiati nominis literæ ederentur, atque aliud à Sosi appellatione latinæ significationis nomen præseferrent. Eadem sane ratione in Codicum inemendatorum vitium rejicimus aliud Zenodoti nomen, quod in Sosi locum suffecerunt Raphael Volaterranus, (*a*) & Petrus Crinitus; (*b*) sive Xenodori, ut tradidit Marius Franciscus Grapaldus; (*c*) perperam his Plinii testimonio tribuentes musivaria opera, quorum ipse meminit loco supra laudato, illorumque celebritatem recensuit. Sosum itaque inter Græcos Musivarios palmam adeptum fuisse Plinii silentium de aliis artificibus comprobavit. Verisimile siquidem non est, tot excellentium virorum nomina, qui sculpendi, pingendi, cælandique peritiâ in Græcia claruerant, literis hunc suis indicasse, alios verò Musivarios, si qui Soso præstantiores fuissent, omnino præteriisse.

Duorum

(*a*) Lib. 27. de Pavimentis.
(*b*) Lib. 25. c. 1. de honesta disciplina.
(*c*) De Partib. ædium lib. 2. verbo PAVIMENTA.


Duorum hujus eximii Artificis operum memoriam nobis servavit Plinius, quæ in clarissima Pergami Civitate, in quam non pauca Corinthi spolia, bello Achaico confecto, Philopæmeni Attali Regis Duci à L. Mummio, in socialis belli præmium donata (*a*) invecta fuerant, in pavimentis ædium Sosus straverat, quæque inter vermiculata Musiva recensemus: Alterum, in quo purgamenta cœnæ veluti Servorum indiligentiâ relicta minutissimis lapillis formaverat; alterum, ubi quatuor Columbæ Canthari labro insidentes repræsentarentur. Hoc postremum vermiculatum opus, quantum conjecturis assequi licet, illud idem esse non spernendo judicio dicimus, quod a nobis inter Hadrianæ Villæ rudera, mense Aprili anni MDCCXXXVII., post multas terræ egestiones, in agro Tiburtino, felici sorte detectum Urbem asportari curavimus. Amplioris, nobiliorisque diætæ pavimenti medium erat, pars reliqua grandioribus lapillis compacta: totum verò pavimentum super inferiori fornice stratum fuerat. Gratissimam itaque rem has nostras lucubrationes legentibus facturos putavimus, Musivum hoc proxime elapsis annis a nobis ære incisum iterum oculis subjicere tabula I; ubi Cantharus, sive vas conspicitur sphæricam figuram habens, quod manubrio non caret. Ejus lateri adhæret veluti cælati Juvenis effigies imperfecta tamen, & cui tibiarum extremitates desunt: ab infima parte, quæ angustior est, sensim vas ampliatur, & excrescit usque ad labrum, cui quatuor Columbæ, quarum altera diversi coloris est, insident: aquâ redundat vas, atque altera ex Columbis inclinata aquam bibit, reliquæ tres apricantur scabentes sese in Canthari labro, ut Plinii verbis loquar. Ita verò apte eas locavit Musivarius, ut totum vasis labrum videatur, atque anterior pars oculis intuentium proximior fiat aversa ejus parte, totaque vasis rotunditas, ac profunditas habeatur. Idem de Columbis contingit, quæ in extimo stant vasis labro, diversum ab aliis, quas altera pars exhibet. Atque hoc eximio venerandæ antiquitatis documento manifesta res est etiam antiquis Pictoribus, & Musivariis artem non defuisse

(*a*) Pausan. in Achaicis lib. 7. cap. 16. pag. 268.

defuisse trinam corporum dimensionem in plana superficie exhibendi, nec non intuentium oculos jucunda rerum inter se distantium adumbratione fallendi, sublata eorum falsa opinione, qui novitatem a nostris tantùm invectam suspicati sunt. Quamvis enim me non lateat, primam hujus artis regulam docuisse sæculo decimoquarto Petrum de Francisca Burgi Sancti Sepulchri natum, qui tres libros edidit, ut refert Pater Jgnatius Dantes, (*a*) atque ab illius libris non parum hausisse Danielem Barbarum, quam regulam secuti quoque fuerunt alii plures, quos inter Balthassar Peruzzius, Serlius, & Daniel Volaterranus, donec Vignolius, expolita supra dicta regulâ, alteram deinde imitandam proposuit, qua Pictores, Sculptoresque mirabili hanc artem profectu propagarunt; non inde tamen citra injuriam dici potest antiquis ignotam fuisse Opticæ scientiam, quæ altitudines, distantias, lineasque ad propositi puncti mensuram ductas metitur, verùm non ita accurate, ut à nostris artificibus, ab eis excultam. Inter tamen antiquas picturas, aliaque musivaria opera, quæ hucusque detecta sapientum virorum solertia servavit, nullum magis hoc admirabili Columbarum opere Opticæ artis peritiâ excellit, quamvis hæc supremum excellentiæ gradum hac nostra ætate attigerit. Omnibus itaque antiquis musivariis operibus, quæ sub terra latentia in lucem hominum educta hucusque fuerunt, hoc præstantius esse nemo inficiari audebit; Ita enim pulchre distincta colorum varietate, atque ita concinne, & eleganter Columbarum formæ expressæ sunt, ut picturam ipsam non adumbrare, verùm potius æmulari videantur: Lapillis verò ita tenuibus, ac minutissimis Musivum constat, ut nisi propius accesseris, picturam potius, quàm vermiculatum opus contemplari putaveris. Unicâ etenim uncia Romani pedis centum & sexaginta lapilli circumscribuntur, cum Prænestini Fortunæ Musivi Lucii Sullæ ætate constructi vigintiquinque lapillos unica uncia complectatur, ut observavit doctissimus Præsul Franciscus Blanchinius. (*b*) Cujus autem

(*a*) Nella Prefazione sopra la prima regola del Vignola.

(*b*) Cap. 2. Sepulchr. Servor. domus Aug. pag. 6.


I



autem momenti ſint conjecturæ, argumentaque, quibus facile adducimur, ut judicium minime improbandum feramus, hoc Muſivum, quod à nobis repertum eſt, illud idem eſſe, quod Pergami *celebratum* ſua ætate Plinius teſtatur, cenſuræ aliorum ſubiicimus, ne ob rei a nobis repertæ ſtudium, amori nimium noſtro indulgere videamur.

In comperto eſt apud omnes, Tiburtinam Villam poſt peragratas Crbis Romani Provincias, atque poſt ſecundam in Græciam Hadriani profectionem, nempe decimoſeptimo Imperii anno exacto, ut Periti faſtorum ſupputant, perfectam ab Hadriano fuiſſe, quam prope Tiburtinos colles deſignaverat; ſicuti obſervavit præſtantiſſimus Blanchinius, (*a*) ut Urbe relicta, quoniam Senatui infenſus erat, perpetuam ibi domicilii ſedem figeret. Cum verò pacis otio magis, quàm belli gloria Princeps lætaretur, atque literarum ſtudio liberalium etiam artium cultus acceſſiſſet, immani ſumptu, atque omni luxus ornamento Villa extructa eſt, ubi non tam celeberrima Provinciarum, Locorumque nomina inſcripſit, quàm quidquid elegantioris formæ in Provinciis reperiſſet, in hanc Villam aſportari juſſit, ut reliqua Imperatorum, qui ipſum ætate præceſſerant, ædificia & operis magnitudine, & cultus ſplendore ſuperaret. Hæc non tantùm pauca Spartiani verba teſtantur, verùm multò magis Columnarum, Signorum, Anaglyphorum, ac pretioſorum marmorum copia, quæ ad hanc uſque diem reperta ſunt, atque ſtantes adhuc immenſæ molis parietes, quamvis minima pars ſint ampliſſimæ Villæ, quæ fornicum, ac diætarum ruinis magna ſui parte ſepulta, Romani tamen Imperatoris potentiam demonſtrat. A veritate itaque alienum non eſſet, Hadrianum, qui Muſivis delectabatur, & quia ſic illius ſæculi luxus ferebat, (ut infra ſuo loco dicemus) Muſivarium hoc opus Pergamo deductum in hujus Villæ ornamentum tranſtuliſſe, in quam immanes Columnarum moles, totque præſtantiſſima Græcorum, atque Ægyptiorum ſimulacra, quorum plurima nobis fortuna ſervavit, ad augendam loci nobilitatem invexerat, ita

(*a*) Epiſt. de Lapide Antiati pag. 7.

ita ut minime mirandum sit Musivum, quod Plinii senioris ætate, quæ Vespasiani, & Titi imperio respondet, Pergami celebraretur, Hadriano postea imperante, asportatum, & in Tyburtina Villa locatum fuisse. Neque multa opera adhibenda erat evellendo Lithostroto, quod miro artificio Sosus straverat in pavimento, prout nobis usu venit, qui Quadratariorum scalpellis a fornice, ubi compactum fuerat, cum tota ejus massa satis brevi tempore avulsimus. Cum enim animi relaxandi causa per eos dies Tibure rusticaremur, de hoc admirando vermiculato opere ab Effossoribus nostris detecto certiores facti in Hadriani Villam circa meridiem descendimus, præmissis Quadratariis pluribus scalpellis instructis, qui nos adventantes opperirentur. Postquam verò illuc pervenimus, miratique sumus Musivi excellentiam, lineam quadrilaterem duximus, quam totam scalpellis juxta se positis repleri præcepimus; His verò lente, æqualiterque uno, & eodem tempore a Quadratariis percussis usque ad fornicem, cui pavimentum insederat, ante Solis occasum facili negotio musivarium opus avulsum est, atque isthinc asportatum. Levis itaque momenti res fuerat, etiam Hadriani ætate Sosi musivum de pavimento tolli, atque sublatum ad augenda Tiburtinæ Villæ ornamenta iterum in pavimento collocari, ne ibi inter tot alia vermiculata opera illud quoque præstantissimum desideraretur. Neque aliud suspicari sinunt Plinii verba, quæ tam apte, tamque concinne Musivo in Hadriana Villa reperto conveniunt, ut hoc apertius, & clarius aliis à Plinii verbis explicare nemo possit.

His accedit, quod, cum Tiburtinum Lithostrotum nonnisi longo plurium annorum labore ex minutissimis lapillis coagmentari potuerit, nec Villa ab Hadriano constructa sit, nisi post decimumseptimum Imperii annum, necessario fatendum est à Musivariis tunc temporis compactum non fuisse, sed aliunde advectum, ibique repositum, cum Hadriani ætas à Villæ exædificatione non ultra quadriennium protracta fuerit.

Duæ autem res potissimum in causa sunt, cur Plinianum Sosi musivum existimandum sit, non verò ad posteriorem Hadriani ætatem referendum; altera, quod tesserulis coagmentatum

mentatum est diversarum tamen specierum ab illis, quibus reliquum diætæ pavimentum compactum fuerat, quod nobiliorum marmorum lapillis constabat, qualia cæterarum adjacentium diætarum pavimenta reperta sunt, adeo ut non tam operis elegantia, quàm lapillorum varietate, Musivariis, qui reliqua ædium pavimenta construxerant, adscribi minime possit. Cui enim persuasum erit eosdem artifices integro illius diætæ pavimento manus admovisse, atque ignobiliorem ejus partem pretiosorum marmorum lapillis exornasse, frequentiorum vero lapidum, ac vulgatorum marmorum lapillis pavimenti medium compegisse, quod minutissimis calculis, ac longo, elegantique artificis studio præstaret? Altera vero, & quidem potentior est, quod Columbarum Musivum certo ibi indicio compactum non fuit, sed aliunde asportatum; erat enim aversa ejus pars supra fornicem posita marmore albo obducta, inutili sane, & præter musivariæ artis regulas integumento inter fornicem, magnamque illam massam, cujus superficies Musivum exhibet. Neque quidquam simile nobis videre contigit in tanta ibi repertorum lithostrotorum copia, quæ omnia in qualibet diæta post Villæ ædificationem a Musivariis formata ibi fuisse conspiciebantur, atque supra fornices, nullo interjecto marmore, constructa. Verisimile itaque est, posticam Musivi Pergamensis partem marmore obductam fuisse, postquam illud e pavimento sublatum asportari ex Asia oportuerat, ut massa, cui inhærebat, quamvis tenacissima naturâ sua esset, firmior, & longe ab ullo disruptionis periculo intacta Urbem adveheretur.

His nos argumentis, & rationibus confirmati, parum superesse dubitationis fatemur, quin hoc Musivum, quod recensuimus, aliud non sit ab illo, quod Sosus Pergami straverat, cujusque mentionem fecit Plinius. Nullum autem hominum ab hac sententia dimovere debet ipse Plinius, qui ait Asaroton Sosi *parvis e testulis factum, tinctisque in varios colores*, cum contra vermiculatum lithostrotum, quod apud nos est in Villa Hadriani repertum, marmoreis lapillis compositum sit, paucis quibusdam vitreis tesseris exceptis, quæ in varios colores tinctæ fuerunt, quæque in coronide tabulæ sunt. Principio siquidem locum Plinii in mendo esse rectissime

ſime Salmaſius (*a*) agnovit e veteri libro; *teſtulis* cave legas; legendum omnino eſt *teſſerulis*: Uſus eſt Plinius verbo Lucilii (ut recte vidit Salmaſius) cujus verſus appoſuit. Author Commentationis in antiqua monumenta Tigurina (*b*) a Salmaſio diſceſſit fide vulgarium librorum, male inquit: *id vero Salmaſius ſola authoritate ſua mihi non perſuadebit*; quid enim, ſi ipſe ſibi Tigurinus Author authoritatem opponeret ſuam? Ita equidem, nam ꝯ. VIII. Plinii verba: *Celeberrimus fuit in hoc genere Soſus &c.* interpretatur *ſcilicet Lithoſtrotorum*; Si igitur Aſaroton, quod ſtravit Soſus, Lithoſtrotum fuit, Anonimi Authoris ſententia non *Teſtulis* legendum, ſed *Teſſerulis*; vix enim Teſtulæ, quæ e lapidibus non componuntur, lithoſtrotis convenire poſſunt; Teſſerulæ, quæ figuram, & magnitudinem tantùm referunt ſive lapidis, ſive teſtulæ, ſive vitri, lithoſtroto bene conveniunt. Quod verò Teſſerulas Plinius *tinctas* dixerit *in varios colores*, id non evincit Soſi Aſaroton aliud à noſtro fuiſſe: potuit Plinius falli, ut vel periti falluntur, niſi longo Muſivorum uſu fuerint edocti: illud verò rem conficit, quod Plinius non dicit Cantharum & Columbas a Soſo factas fuiſſe parvis e Teſtulis, ſive Teſſerulis tinctis in varios colores, ſed *purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri ſolent, veluti relicta, fecerat parvis e Teſſerulis, tinctiſque in varios colores*, unde ad tabulam noſtram, in qua *mirabilis eſt Columba bibens, & aquam umbra capitis infuſcans, dum aliæ apricantur ſcabentes ſeſe in Canthari labro*, nihil pertinent Teſſerulæ, Teſtulæque tinctæ in varios colores; non enim Plinius deſignat, qua materia fuerint Teſſerulæ, quibus Soſus Columbas, & Cantharum compoſuerat, quidquid verò horum omnium ſit, certum quidem eſt, atque communi Muſivariorum ſententia comprobatum, non tantùm hoc noſtrum Lithoſtrotum præſtantiſſimum præ cæteris omnibus exiſtimari, verùm nil hoc excellentius, vel admirabilius in arte muſivaria a peritiſſimo artifice præſtari unquam poſſe. Hinc, quæ tabularum pictarum præſtantia apud Græcos fuerit, coniicere licet, ſi lapillis quoque opera tam illuſtria compacta ſunt, quâ elegantem picturam æmularentur.

Sed

(*a*) Exercit. Plin. pag. 1214.

(*b*) In Addition ad ꝯ. IV. Tom. 7. Amœn. Schelhornii.

Sed ut unde digressi sumus revertamur, frequentata à Græcis Lithostrota fuisse Duris verba testantur, quæ nobis servavit Athenæus, (*a*) ubi Demetrii Phalerei in luxum effusos mores recensens pavimentorum quoque cultum describit: ἀνθινά τε πολλὰ τῶν ἐδαφῶν ἐν τοῖς ἀνδρῶσι κατεσκευάζετο διαπεποικιλμένα ὑπὸ δημιουργῶν *Multa in Andronibus pavimenta conficiebantur florida, picturata ab Artificibus Musivariis*: ut observavit Casaubonus, (*b*) sive: *in virorum cœnaculis pavimentum floribus projectis artificiose multis in locis variegatum erat, atque picturatum*; ut concinnius vertit Dalechampius. Hunc eximium pavimentorum nitorem Diogenis Philosophi factum comprobavit, quod Claudius Galenus (*c*) narrat. *Is*, nempe Diogenes, *cum apud quemdam acciperetur convivio, qui res omnes, quas possidebat, exacta providentia nitidas, & instructas habebat, cæterum sui ipsius nullam curam habuerat, screans veluti sputum ejecturus, quum undique circumspexisset, nihil vidit, in quod expueret, sed in ipsum solum domus Herum expuit. Ille cum indignaretur, rogaretque, quam ob causam id faceret, respondit, se nihil in tota domo tam sordidum, ac neglectum videre, quàm esset ipse; nam parietes omnes egregiis picturis ornatos esse, solum autem ex tessellis pretiosis esse concinnatum, habens ex his expressas Deorum imagines, vasa omnia pura, ac nitentia, quin & stragulas, & lectos pulchre, magnoque artificio elaboratos esse, solum ipsum videri neglectum, & incultum*. Atque adeo in pretio fuit hujusmodi pavimentorum splendor, ut navium etiam pavimenta parvis marmorum lapillis, & vermiculato opere integerentur. Cum enim Hieron Syracusarum Rex non minus Templis, Gymnasiisque magnifico sumptu excitatis, quàm navibus ædificandis illustris, miræ magnitudinis navim construxerit, Archiam Corinthium ei perficiendæ præfecit, &, ne quicquam operis splendori deesse videretur, universam Iliadis fabulam parvis marmorum lapillis pavimentum navis referebat, ut Moschion

meminit

(*a*) Lib. 12. pag. 542. Deipnosoph.
(*b*) Animadv. in Athenæum lib. 12. cap. 11. pag. 851.
(*c*) Ad bonas artes exhort. pag. 11. Edit. Parisien. Christian. Vechel. an. 1547.

meminit apud Athenæum (*a*) his verbis: ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν εν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐν οἷς ἦν κατεσκευασμένος πᾶς ὁ περὶ τὴν Ἰλιάδα μῦθος. *Horum omnium solum exiguis quadris lapidum omnifariorum pavimentatum fuit, in quo Iliadis tota fabula depicta conspiciebatur*. Hæc autem navis, quæ Archimedis ingenio in mare deducta fuit, Syracusia prius, deinde Alexandrina dicta, postquam Ptolomæo Regi fuit a Hierone donata. Neque hæc pavimentorum luxuries Græcorum tantùm propria fuit, sed Ægyptios quoque Reges pervasit. Ptolomæus siquidem, cui Philopatoris nomen fuit, admirandæ magnitudinis navi constructa, Thalamegon dicta, qua Nilum navigaret, cum ejus conclavia, cœnationemque marmoreis columnis, auro, ebore, lignisque pretiosis exornasset, ad dexteram cœnationis partem antrum construi jussit figuris, quæ ex variis lapillis coagmentatis concinnatæ erant, ut ex Callixene narrat Athenæus (*b*) omnes navigii partes, earumque ornamenta fuse recensens: ἐν δὲ τούτῳ κατὰ μὲν τὴν δεξιὰν πλευρὰν, ἄντρον κατεσκεύαστο. οὗ χρῶμα μὲν ἦν ἔχον τὴν πετροποιΐαν ἐκ λίθων ἀληθινῶν καὶ χρυσοῦ δεδημιουργημένον. *Ad hujus ædificii dextrum latus antrum effossum fuit, eo prorsus colore, qui videtur in lapideo cœmentioque opere, ex veris lapidibus, & auro confectum*; quem locum illustrat doctissimus Montfaucon (*c*).



CAPUT III.

(*a*) Lib. 5. Dipnosoph. p. 207. & seqq.
(*b*) Lib. 5. pag. 205.
(*c*) L' Antiquit. expliq. Tom. 4. par. 2. livr. 3. Chapitr. 7.

DE MUSIVIS

CAPUT III.

De Musivorum apud Romanos, stante Republica, frequentatione.



HÆC præclarissima Musivarii operis ars, qua exteras Nationes, maxime verò Græcos præstitisse jam supra vidimus, ex Græcia ad Romanos defluxit, juxta laudatum Plinii testimonium. (*a*) *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ, donec Lithostrota expulere eam*; cujus authoritatem secutus est Jsaacius Casaubonus; (*b*) *Transiit hic luxus ex Oriente & Castris Regum Asiæ ad Romanos*: ut supra retulimus (*c*). Sero tamen, atque adulta jam Republica, a Romanis excogitata est unâ cum cæteris liberalibus artibus, ac disciplinis. Hæ enim in nullo apud illos pretio longissimi temporis fuga habitæ sunt, quibus de hostibus devictis triumphum ducere, & propagandi Imperii fines studium unica laus esset. Græcarum itaque Provinciarum accessione, mores, Græcorumque artes, & disciplinæ in Urbem invectæ, & quæ olim angustæ dominationis limitibus circumscripta triumphantibus Civibus lætaretur, qui ad victoriæ præmium adjunxerant Volscorum armenta, vel Sabinorum greges, aut pauca Gallorum carpenta, ut scribit Livius, propagato deinde Imperio, non juste decretos honores putavit,

(*a*) Lib. 36 cap. 25. pag. 340. to. 5.
(*b*) Animadvers. ad Sveton. lib. 1.
(*c*) Pag. 24.

putavit, nisi exteræ Gentes præliis domitæ Romani Imperii fines longo terrarum tractu augerent, atque illarum prædâ, spoliisque triumphus illustrior fieret. Hinc ex Oppidis captis erepta signa, tabulæ pictæ, aliaque pretiosa ornamenta, Cives armorum, bellique tantùm studiis deditos in liberalium artium amorem, ac cultum sensim adduxerunt; maxime verò, postquam, Corintho deleta, L. Mummius multam signorum, & tabularum copiam in Urbem asportavit. Musivorum itaque præstantia non prius à Romanis agnita, quàm ante Cimbricum bellum, & Pœnis pro tertia vice in Romanos ruentibus, ut scribit Plinius (*a*). *Romæ scalpturatum in Jovis Capitolini Æde primum factum est post tertium Punicum bellum initum: frequentata vero pavimenta ante Cimbricum magna gratia animorum, indicio est Lucilianus ille versus.*

Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.

Unde colligimus ad augendum Templorum nitorem pavimenta musivario opere prius constructa, & publicas confictorum Numinum Sedes exornatas, quàm hujusmodi luxus privatis Civium ædibus accederet. Hunc Lithostrotorum splendorem Jovis Capitolini Templo prius fuisse additum ex laudati Plinii verbis habemus, qui alterius pavimenti ætatem describit, quod L. Sulla Præneste in Fortunæ Delubro post victoriam de Cajo Mario juniore reportatam faciendum curavit (*b*). *Lithostrota cœptavere sub Sylla: parvulis certe crustis extat hodie, quod in Fortunæ Delubro Præneste fecit.* Hoc autem Lithostrotum, quod incorruptum, & intactum Plinii ætas vidit, ad hæc usque tempora Præneste conspicitur in Palatio Principum Prænestinorum. Inter vermiculata recensendum est, nec minus operis elegantiam, quàm temporis antiquitatem musivarii Artifices celebrant, & admirantur; hocque ære incisum publici juris fecit senior Franciscus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius. Minima tamen pars est Prænestini Templi, quod longe, lateque protendebatur, ut ex ejusdem ichnographia, quam delineavit Petrus Berettinus Cortonensis, illamque ære incisam exhibuit Joseph Maria

(*a*) Lib. 36. cap. 25. pag. 341. to. 5.

(*b*) Lib. 36. cap. 25. pag. 343. to. 5.

Maria Suaresius Episcopus Vasionensis in sua Præneste antiqua (*a*) cujus verba hìc referre non importunum putamus: *Celebre fuisse hoc Fortunæ Fanum Lithostroto, idest opere composito e crustis parvulis artificiose tinctis in varios colores conspicuum Fungerus observat*. (b) *Fortunæ Statua, seu signum vestitum plicatili, seu rugata veste multis sinubus, seu laciniis plexa, e cinereo lapide, qui attritus manibus odorem emittit sulphuris, priscis sæculis medio fere in Templo situm, oraculis nobile, maximeque concelebratum erat. Inde sortes expetitæ, illic votivi confestim positi lapides, cujusmodi dispersos haud quidem paucos in Prænestinis viis, agrisque legimus, ubi & epigrammata concinna, & alia complura suspicienda antiquitatis vestigia jacent. Templum, seu Templa potius stupendæ molis omne fere hodiernæ Civitatis occupabant spatium. Apposita namque monti, devexis inferioribus partibus, ascensum compositis distinctum areis duodecim exhibebant, erectis ad eas peramplis ædibus, diversis scalarum ordinibus parietibus in unum, beneque elatum prospectum cingentibus multiplici porticu, Theatro columnis distincto, cavædio, arcubus spectandis, fontibus, lacusculis, viridariis. Excisus erat ipse mons, & pluribus quasi planis gradibus septus in Templi conscensum: excavatus medio in monte aquæductus piscinas, seu potius lacus in ipso Fortunæ Templo constituebat. Cortina Templi eminebat in apice, ubi nunc Palatium Principis: in eoque summo excitabantur ignes accensis facibus, quæ navigantibus etiam in ipso mari noctu religiose conspectæ prælucebant; ut invocandum ipsis Fortunæ Numen admonerent*: & paulo infra: *extantis modo Lithostroti exemplum habeas, cujus occasione Prænestinæ ipsius Fortunæ habuisti. In eo multa quidem perspicienda sunt, quæ lapillorum interrasis miraculis, crustulisque intercisis, superstitiosa sedulitate, summoque otii dispendio conficta apparent*. Hoc sane Lithostrotum, quod in inferiore Templi parte constructum fuerat, *ac nonnisi accensis facibus, superaffusaque ad perspicuitatem aqua, & sæpe iterata inspersione*, videre licuit Suaresio, ut ipse ait (*c*) laudati Cardinalis opera ab ignobili, & obscuro loco

(*a*) Lib. 1. pag. 48. & seq.
(*b*) In Etymolog.
(*c*) Lib. 1. pag: 50. de Antiqua Præneste.

loco avulsum in Palatio Principis iterum in pavimento contextum est, ubi nullo illati luminis adjumento opus est, ut conspici possit.

Hujus Prænestini Lithostroti decem, & octo tabulas extitisse apud Equitem Cassianum de Puteo refert sua ætate Suaresius (*a*) in quibus variæ ferarum, & animalium effigies, venationum, fluminum, phaselorum, tentoriorum, ædium, piscatorum, & militum, Isidisque simulacrorum delineatæ conspiciebantur, quas graphice descripsit his verbis: *In prima Tabula spectare datur tres feras e Musivo compostas, quibus inscriptum* ΥΛΜΟΝΟΠΑΡΔΑΛΙ, *forte* ΚΑΜΕΛΟΠΑΡΔΑΛΙ. *In secunda Cancros innantes fluvio, Simias, Hippopotamum, venatores, & in his Mauros, qui vibrant sagittas ex arcubus in simiam infra* CΦΙΝΓΙΑ. *In tertia testudines innatantes fluvio, & feras, quæ devorant pisces, inscriptumque* ΕΝΥΔΡΙC. *In quarta aves, forte Ibides insidentes rupi, quas vorat serpens sinuosa torquens volumina, Simiam, & quadrupedem humana facie, sed caudatum; subtusque* ΜΟΝΟΚΕΝΤΑΥΡΑ, *tum duo animalia sese jam lambentia, vel commordentia, additumque* ΟΩΑΝΤΕC. *Quinta exhibet phaselum, qui remis agitur in flumine rupibus interstincto, in quo milites, qui jacula conjiciunt in Hippopotamum, quibus illum inter ulvas, sive papyros configunt. Sexta Hippopotamum telis confixum natantem, duosque Crocodilos. In septima* ΚΡΟΚΟΔΙΛΟΠΑΡΔΑΛΙC *innat flumini, hanc agitant Æthiopes clypeati, ædes, simulacra Isidis, Aquilæ signum asino impositum. In octava navis inflato velo currit ad turrim rotundam, & ad duas quadratas in mare procurrentes, in quibus nidificant volucres, Sagittarius collineans in Hippopotamum. In nona Templum ad ripam fluvii, obelisci, puteus, palma, mulieres vero sertis coronatæ, homo tridentifer, forte Neptunus. In decima* ΡΙΝΟΚΕΡΩC, ΧΟΙΡΟΠΙΟΚ *Templum cum duabus turribus, & casa, palmæ. In undecima Vir, Mulierque hinc discumbunt, inde alii sub tegete, quam inumbrat*

(*a*) Lib. 2. pag. 289.

umbrat vitis pampinis, & racemis onusta ad ripam fluvii, per quam discurrit phaselus plenus floribus innascentibus; ex adverso tres, quorum alius canit fistula, porrigit alter cornu, seu ciathum, qui desinit in hædi speciem, tertius indicem attollit. Hanc eamdem tabulam penes se habere affirmat Cl. V. Gorius. Verùm quia in Prænestino Musivo non desideratur, ut nos testes sumus, dicendum est fuisse geminatam in pavimento Templi, quod late protendebatur, ut ostendit Suaresius. *In duodecima legitur* ΚΗΙΥΙΤΕΝ ΛΕΑΙΝΑ CΑΥΟΣ ΤCΗΧΙCΝΙΕ ΕΦΑΛΟC. *In decima tertia navis visitur, quæ remis agebatur militibus plena, aliæ velis vento inflatis, & funibus intertextis, phaselus in fluvio, domus, & casa cum rusticis, cymba, flores in fluvio; In decimaquarta* ΚΡΟΚΟΤΑC *Venatores* ΥΑΒΟΥC *in rupe ad fluvium. In decimaquinta* ΤΙΓΡΙC ΚΡΟΚΟΔΙΛΟC ΧΕΡCΑΙΟC CΑΤΤΥΟΚ. *In decimasexta tentorium, & milites, atque Templum, Dux propinans cum cornu, abacus, fluvius. In decimaseptima Sacerdotum processus sub Templo, quatuor coronati gestant humeris fercula cum tympanis, tibiisque alii. Anubis statua in base. In decimaoctava Umbella.*

Has tamen tabulas, quarum meminit Suaresius, in pavimento Palatii Principis Prænestinorum collocari jussit Cardinalis Franciscus Barberinus, cujus operâ, & impensis totum Lithostrotum contexi feliciter cæperat, dum suam de antiqua Præneste historiam ederet Suaresius, ut ipse testatur loco supra laudato; ea enim omnia, quæ accurate, ac diligenter descripsit hic Author, in Prænestini Principis ædibus repræsentantur, tabulis in unum collectis, tam quæ apud Equitem Cassianum de Puteo asservabantur, quàm quæ in antiquo pavimento superessent.

Quia tamen tabulis æneis incisum fuerat Lithostrotum, laminis editioni Kircherianæ, quæ de antiquo Latio inscripta est, accommodatis, atque idcirco minus apte, & distincte exhiberentur tot imagines hominum, ac ferarum, nec non tot Ægyptiorum Symbola, quàm laminæ brevitas pateretur, Franciscus Junior Cardinalis Barberinus alterius Francisci Fratris Filius vermiculatum opus quatuor chartis distinctum incidi iterum

juſſit, aliiſque eruditi viri Sanromani Galli, ſive verius doctiſſimi Præſulis Franciſci Blanchinii obſervationibus illuſtrari. Cum enim Kircherius in ea ſententia fuerit, quod in hoc Muſivo variæ inconſtantis Fortunæ vices exprimantur, ritibus cæremoniiſque ad colendam Deam adhibitis, ac ludi ſolemnes ob felicem Fortunæ ſortem celebrentur, viſum eſt Kircherium acu rem non tetigiſſe, imo veriſimilius dicendum, Sullam victoria Prænestinâ elatum, Felicis agnomine adſcito, Alexandri Magni fortunæ cupidum, æmulatoremque fuiſſe, proindeque illius in Ægyptum profectionem, dum Jovis Hammonis Oraculum conſulturus perrexit, an totius Orbis imperio potiretur, muſivario opere repræſentaſſe. Et ſane utriuſque Ægypti imago conſpicitur; In ſuperiori ſiquidem, quæ montana eſt, & prærupta, viſuntur Æthiopes, atque animalia, quæ illam incolunt Regionem; in altera verò, quæ plana eſt, & Nilo irrigua, Iſidis, & Anubis ſigna, Crocodyli, Hippopotamus, Obeliſci, Palmæ, Piſces, Papyrus, & alia hujuſmodi, quæ propria inferioris Ægypti ſunt. Nec celebres Urbes duæ deſiderantur, Heliopolis, & Memphis, quarum utraque à Nili oſtio navigantibus ad interiorem Ægypti plagam occurrunt, altera, quæ ad orientalem, altera, quæ ad occidentalem Nili ripas jacent. Spectantur Ægyptii ludos celebrantes, & lætitia geſtientes ob patrios mores Alexandro victore ſervatos. In inferiori verò Lithoſtroti parte tentorium conſpicitur, ubi Aſtacem Darii Regis Prætorem in deditionem, & amicitiam Alexander recipit. Hanc autem Alexandri profectionem fuſe narrat Q. Curtius (*a*) cujus verba non abs re erit hìc referre: *Igitur ingens multitudo Peluſium, qua intraturus Rex videbatur, convenerat. Atque ille ſeptimo die, poſteaquam a Gaza copias moverat, in Regionem Ægypti, quam nunc caſtra Alexandri vocant, pervenit. Deinde pedeſtribus copiis Peluſium petere juſſit, ipſe cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus eſt: Nec ſuſtinuere adventum ejus Perſæ, defectione quoque perterriti. Jamque haud procul Memphi erat, in cujus præſidio Aſtaces Prætor Darii relictus, Oxio amne ſuperato, octingente*

(*a*) Lib. 4: cap. 17.



II

genta talenta Alexandro, omnemque regiam supellectilem tradidit. A Memphi eodem flumine vectus ad interiora Ægypti penetrat, compositisque rebus, ita ut nihil ex patrio Ægyptiorum more mutaret, adire Jovis Hammonis Oraculum statuit,: & paulo infra: *Et Legati Cyrenensium dona attulere, pacem, & ut adiret Urbes suas, petentes*. Nil igitur moror Kircherii interpretationem, quæ multum aliena est à germana Lithostroti Prænestini explicatione, ubi communi doctorum virorum judicio Alexandri in Ægyptum profectio certis, ac manifestis indiciis exprimitur.

Cum antiquis Lithostrotis annumerandum putamus Musivum, quod hic exhibemus tabula II., sexto ab hinc anno in Aventino repertum non longe a D. Alexii Templo, ubi Herculis Fanum constructum fuerat. Impensâ tamen nostra opus fuit, quòd Musivariorum industria deficientes, vel corruptos lapillos sufficeret, ut pristina venustas redderetur. Inferior Musivi pars Birotum exhibet, sive carpentum pompaticum, quod totum velis contegitur. Binæ itaque ei rotæ sunt, minime tamen in radios distinctæ, sed integræ in orbes volvuntur, duobus Apris currum trahentibus, qui supra easdem rotas non parum in altum attollitur. Hujusmodi carpentis non solum Matronæ utebantur, cum iter facerent, atque ea in prophanos usus adhiberent, verùm ea quoque carpenta trahebantur, cum ad ludos edendos Numinis, aut Principis imagines deferrent, vel quia in pompis Thensæ sacræ ab uno in alium locum traherentur ab animalibus propriis, sacrisque Diis, pro quibus fierent, ut ex Bonaroto (*a*). Hinc pompatica carpenta dicta sunt, ut ait Schefferus (*b*). Viridi integumento Birotum operitur, cui aliud rubri coloris superinductum est, quod a superna parte bifariam divisum, solutumque ad ejusdem latus descendit. Ante currum Cippus est, cui vas insidet. In superiori verò Musivi parte caput Herculis visitur, nec procul sunt clava, atque vas, quæ huic Numini tribuuntur.

 Aliud

(*a*) In Bacchi Triumph. pag. 449. (*b*) De Re Vehicul. lib. 2. cap. 17.

Aliud quoque Lithoſtrotum eodem in loco repertum eſt, quod ære inciſum hìc damus tabula III. Sylvam exhibens denſis arboribus conſitam, atque per eam diſcurrentes Cervos, Elephantem, & Leonem, a quo non longe jacet Aper ab eodem occiſus. Utraque autem hæc Muſiva minutis, variegatis lapillis contexta ſunt. Alterum his addimus nonnullas humiles domos exhibens, quibus quædam arbores adjacent, & cymbam per lacum vectam, quod in Divi Alexii Templi parietibus extabat, nunc verò in nova Eccleſiæ ædificatione ſublatum dolet Clariſſ. Vir Abbas Nerinius (a). Hæcque ad Reipublicæ ætatem referre exiſtimamus, qua primum frequentari cæpta, cum nondum perfectæ artis ſpecimina in iis deprehendantur, ut in aliis poſt Auguſti Imperium conſtructis. Hic pavimentorum cultus, quem Templorum nitori Romani prius addiderant, privatorum quoque Civium ædes ſenſim pervaſit. Corruptis ſiquidem priſcæ frugalitatis moribus, quibus Romana Reſpublica militari gloria claruerat, Græciæ, Aſiæque opibus facile Cives in ædium quoque luxuriam declinarunt, *ita ut non ſolum anguſte ſe habitare putaret, cujus domus tantùm pateret, quantùm Cincinnati jugera patuerunt*, ut ait Valerius Maximus, (b) atque adeo non amplis tantùm domus ſpatiis clauderentur, verùm earum pavimenta marmoribus reſectis integerent, quibus etiam diætarum parietes obducti erant. Primum autem in Urbe, qui parietes cruſtis marmoreis operuerit totius domus in Cœlio monte, Mamurram Equitem fuiſſe Præfectum Fabrûm Cæſaris, cujus turpes mores carminibus perſtrinxit Catullus (c), refert Juſtus Lipſius (d), quod genus Incruſtationes Latini, Μαρμαρώσεις Græci appellavere; hunc verò marmorum luxum in Urbem jam prius invexerat M. Scaurus, qui Theatri proprio ære conſtructi imam ſcenæ partem marmoribus obduxit, mediam vitro ornavit, ſupernam tabulis inauratis, ipſumque Theatrum tercentumſexaginta columnis fulſit,

(a) De Templo. & Cœnobio SS. Bonifacii, & Alexii tab. 13. pag. 366.
(b) Lib. 4. cap. 4.
(c) In Cæſarem:
(d) De Magnitudin. Roman. lib. 3. cap. 14.



III



III

fulsit, ut habemus in Plinio (*a*). Hæc sumptuose habitandi libido Consulares, potentioresque Cives invasit, nec eis satis domus nitebat, nisi sectis marmoribus, quæ ex longinquis Romani Imperii Provinciis in Urbem importabantur, ædium parietes exornarentur, earumque pavimenta Lithostrotis, vel vermiculatis operibus nobiliora fierent. Hinc M. Terentius Varro comparans Villam in Campo Martio positam cum alia in Reatino agro constructa, laudansque illius frugalitatem, ait: (*b*) *Nuncubi hic vides citrum, aut aurum, num minium, aut armenium, num quod emblema, aut lithostrotum, quæ illic omnia contra*. Ciceroni porticum domus suæ pavimentatam fuisse in Urbe habemus ex ejusdem Oratione, (*c*) atque eo usque hunc pavimentorum usum processisse, ut Julius Cæsar ea quoque in castris construi jusserit juxta Svetonii testimonium (*d*) *Julium Cæsarem in expeditionibus tessellata, & sectilia pavimenta circumtulisse*; quem locum illustrans Jsaacius Casaubonus ait (*e*): *Crustas marmoris, ut quoties castramentandum esset, pavimenta ex iis in Prætorio picta de Musivo struerentur; Quare oportuit in suo ministerio Musivarios artifices semper habere. Postea luxuria etiam in castra perrupit, adeo ut inter sarcinas Ducum ista pavimenta fuerint*: De Lithostrotis in Prætoriis castrorum late, atque erudite egit Author Commentationis in antiqua monumenta Tigurina a Schelhornio editus, (*f*) ut nihil videatur addendum.

In postremam Reipublicæ ætatem coniicimus bina Musivorum fragmenta, quæ in Basilica S. Mariæ Transtyberim visuntur inserta basi fornicis dextri ante absidem, qua sustentatur pronaus, & tectum, eaque referunt Grues, Anates, Pegmata, Naves, ac Lintres. Similiter aliud Lithostrotum mensem Junium repræsentans sub forma florentis ætatis Juvenis, quod apud Cardinalem Petrum Otthobonum vidimus, nec non in ædibus nobilium de Mignanellis Leonem cum Tigride congredientem.

Inter

(*a*) Lib. 36. cap. 14. pag. 313. to 5.
(*b*) De re Rustica lib. 3. cap. 2. & 3.
(*c*) Pro domo sua.
(*d*) Lib. 1. cap. 46.
(*e*) Animadvers. ad Sveton. lib. 1.
(*f*) Tom. 7. Amæn. Litter. §. IX. & X.

Inter hujus temporis Musiva alias decem tabulas referimus in Palatio Marchionis Francisci Camilli de Maximis, quarum prima hominem arborem ascendentem exhibet, ut a draconis appropinquantis periculo liberetur: altera militem galea armatum ostendit, & flagrum manu gestantem, qui quadrijugo curru vehitur, cujus dextro lateri miles equo insidens adhæret; sinistro autem alius miles hastam in altum extollens. Tertia alteram quadrigam habet, quæ quatuor viros vehit. In superiori quartæ tabulæ parte tres homines conspiciuntur, quorum primus virgam manu tenens progreditur, alter verò virum alium in terram proijcit; tabulæ medium implent Sol, & Luna; inferior autem pars quaternos viros continet, binos armis actu congredientes, tertium virgam, postremum baculum manibus gestantes. In quinta, & sexta extant quadrigæ, quarum singulæ binos vehunt homines, armis indutos, in hac verò alium lauro ornatum, alterum palmarum fasciculum ferentem. Septima totidem viros repræsentat, quorum primus dexteram erectam habet, sinistrâ virgam gerit, alter tertium versus inclinatur, qui in terram cecidit, post cujus humeros stat quartus manu in altum sublata: quintus corbem prope pedes habet: Sextus, & septimus hasta armati apparent. In octava bini visuntur homines vestibus carentes, quorum alter vas super pilam vacuat. Nona, & decima floribus, fructibus, aliisque foliatis ornamentis replentur.

Alia quoque vermiculata opera recensemus, quæ paucis ab hinc annis reperta sunt in horto Patrum S. Sabinæ in monte Aventino (a) quæ nunc illam Vaticani Palatii partem, quam pulchri prospectus vocant, exornant, & hæc super diætarum januas sunt posita. In uno ex eis Ægyptii tam mares, quàm fœminæ choreas agunt, nonnullis tibia sonantibus, ibique rotunda mensa existit, prope quam stat pumilio vas dextrâ gestans. Alterum binos Ursos aversa inter se facie stantes exhibet, quos duo viri lanceâ aggrediuntur. In alio vir equo insidens Taurum fugientem persequitur.

Aliud

(a) Ficoroni lib. 2. cap. 2. pag. 15. delle Singolarità di Roma.

Aliud hominem Camelo vectum continet, qui fune vinctum Leonem ducit in sinistra musivi operis parte; in dextera autem virum, qui Elephantem ascendit cum Tauro pugnantem. Postremum vermiculatum alium Taurum cum Lupo rixantem ostendit: reliquæ tres tabulæ vitium foliis varie contextis constant.

His Leonem addimus in pavimento, quod prope Antii littus annis proxime elapsis repertum fuit, atque ad Urbem asportatum, aliudque pavimentum variegatis lapillis obductum, quod nuper non longe a Colle Testaceo inventum est. Et omnia hæc Musiva parum eleganti forma compacta sunt; est enim in illorum temporum Musivis minus accuratæ diligentiæ, & artis studium, quo fit, ut duriuscule rerum imagines coalescant, neque tam concinne picturam imitentur, quod tantùm usuvenit colorum extremitatibus sensim, suaviterque in alterius coloris initium abeuntibus.



CAPUT IV.

DE MUSIVIS

CAPUT IV.

Musiva primis duobus Imperii Sæculis Romæ, atque in Provinciis exculta recensentur.



NTE Augusti Imperium vidimus nondum adultam apud Romanos Musivariorum artem, quæ primo, & secundo Imperii sæculo suam attigit maturitatem, ut hoc sequenti Capite ostendemus. Quemadmodum enim ipsa ædificandi ars Augusti, & sequentium Principum ætate alia fuit ab ea, qua, vigente Republica, Cives uterentur; ita & reliquæ liberales artes solerti hominum ingenio ad excellentiæ fastigium pervenerunt. Hinc ante Augusti tempora structuræ genus in usu erat, quod Vitruvius *Incertum* vocat (*a*) hoc autem fiebat cæmentis aliis super aliis sedentibus tegularum modo frequentatum, deinde *Reticulatum* Vitruvii ætate, ut ipse testatur. Hoc autem construebatur cæmentis non jacentibus, sed in latus stantibus positis. Quamvis autem Incerto venustius sit Reticulatum, illud tamen hoc firmius esse existimat Vitruvius, quoniam Reticulatum ad ruinas faciendas paratum magis est, *quia in omnes partes dissoluta habet cubicula, & coagmenta*, ut ipse ait: Reticulatum itaque vocatum, quia retis in modum structum affirmat Philander, quale pluribus in locis in Urbe, & in suburbano agro adhuc conspicitur.

Miramur

(*a*) Lib. 2. cap. 8.

Miramur autem, cur Ciampinus (*a*) vir alioquin accuratissimus utrumque ædificandi genus Reticulatum vocaverit, Incertum aliud, & alterum certum, ut nempe primum illud sit, quod tophis, seu lapidibus inæqualibus, & qui rhombi potius, quàm quadrati formam præstent; Certum verò, quod tophis, vel lapidibus æqualiter sectis construitur, ut prisma quadratum referat, & retis extensi speciem habeat. Hac enim duplicis Reticulati distinctione nec Vitruvius usus est, neque alia illius mens esse potuit, qui venustiora, sed infirmiora ædificia voluit Reticulata aliis incerto ædificandi genere constructis. Ut autem Reticulatum opus firmius consisteret, atque parietes externam quoque faciem intuentium oculis præstantiorem præberent, usu receptum est coctos lateres operi Reticulato superinducere, donec utriusque structuræ genus in desuetudinem abiit, & nonnisi lateribus jacentibus, tenacique calce coagmentatis, sive minoribus, qui laterculi vocabantur, sive majoribus, quos frontatos appellavit Plinius (*b*) ædificia constructa sunt, patentibus ubique figulinis, ubi Dominorum, ac sæpe Consulum nomina in lateribus inscribebantur, quibus non semel Consulares Fasti emendati sunt. Ex his autem consequitur, ut inter parietinarum rudera facile conijciatur ætas, tempusque, quo ædificium constructum fuit ex cæmento, sive lateribus, quibus muri compacti sunt.

Huic externo ædificiorum cultui subtegulanearum ædium splendor accessit; nam non solùm parietes exoticis marmoribus obducere, verùm pavimenta vel variatis marmorum peregrinorum crustis, vel minutissimis lapillis integere Cives assueverant. Non omnium tamen diætarum pavimenta tam eleganti cultu exornabantur, sed nobilioribus tantùm hic luxus addebatur, & persæpe pavimenti medium vermiculato opere contexebatur; reliquæ verò ignobiliores partes ædium vel vulgari Musivo albis, nigrisque tantùm lapillis, & quidem grandioribus compacto, vel marmorum frustulis, sive in rhombos, sive in alias figuras resectis perficiebantur, ut in

 frequen-

(*a*) Vet. Monim: par. 1. cap. 8: p. 67. (*b*) Lib. 36. cap. 12. pag. 244.

frequentibus terræ egeſtionibus, quas fieri curavimus, ſæpe vidimus. Quamvis verò Auguſti ætate aliud in parietibus, & in pavimentis inventum uſurpari cæptum fuerit, figlinum nempe opus encauſto pictum, quod in Thermis, quas ædificaverat, Agrippa præſtitit, ut teſtatur Plinius; (*a*) non inde tamen Muſivaria pavimenta minori in pretio habita, neque parum exculta, immo tamquam ædium luxui magis accommodata non tam in Urbe, ac in ſuburbanis Villis, quàm in Provinciis primis duobus Imperii ſæculis paſſim frequentata, ut infra demonſtrabimus. Certum quidem eſt poſt Auguſti ætatem vitri quoque colorandi artem in Urbem invectam; hinc *Obſidiana Vitra* nuncupata ſunt, quæ varios colores redderent a quodam Obſidio eorum inventore, ut refert Volaterranus, (*b*) & Pancirolus, (*c*) lapilloſque ex vitro pictos educi in more fuiſſe; his tamen & ad feneſtrarum cuſtodiam, & ad parietes exornandos potius, quàm pavimentis integendis utebantur Romani, ut firmiora, ac nobiliora pavimenta eſſent; neque nobis ex tot Muſivis in Tiburtina Hadriani Villa detectis, niſi perraro occurrerunt aliquot lapilli ex maſſa illa metallica conflati, cujus ſupra meminimus, colorum viridis, & cœrulei, aureis etiam venis intermixti, ut muſivariis Artificibus præſto eſſent plures ejuſdem coloris gradus. Quia verò omnium Lithoſtrotorum, quæ huc uſque detecta ſunt, non parum negotii eſt tempus demonſtrare, quo Artifices muſivarii ea conſtruxerint, vel quia nonnullorum ignoratur locus, ubi reperta ſunt, vel quia pleraque ex eis oculis noſtris amplius non ſubjacent, ut ab illorum ſtructura magis, vel minus eleganti ætas conſtructionis certa definiri poſſit, nos inſtitutæ rationi morem gerentes ea priori loco recenſebimus, quæ primis duobus Imperii ſæculis certam ætatem habent, dein illa perſequemur, quæ nonniſi aliorum judicio, vel conjecturis nixi ad eadem tempora referimus. Inter Muſiva itaque Auguſti Imperio coæva enumera-

(*a*) Lib. 36 cap. 25. pag. 343. tom. 5.
(*b*) Lib. 27. de Metallicis.
(*c*) Lib. 1, cap. III.

enumeramus Lithoſtrota, quæ curâ Cardinalis Innocentii de Monte inter parietinas Tiburtinæ Villæ Quintilii Varî funeſta trium Legionum jacturâ memorandi, detecta ſunt. Hæc Villa in Collis vertice, qui ad dexteram Anienis ripam aſſurgit, ſita eſt non longe a præcipiti fluminis lapſu, quo in planitiem excurrit. Horum Muſivorum memoriam nobis ſervavit, Zappi teſtimonio, Crocchiantes in libro, quem de Tiburtinis Eccleſiis edidit.

Vermiculati operis reliquias in monumento, ſive Columbario Libertorum, & Servorum Liviæ Auguſtæ ære inciſas exhibuit Cl. V. Gorius, (*a*) ubi duorum piſcium extremæ partes conſpiciuntur, atque avis uvæ racemum carpens, nec non altera pavimenti pars muſivo opere exornata. Hoc inſigne illius temporis monumentum anno MDCCXXVI. inter primum, & ſecundum ab Urbe lapidem via Appiâ detectum eſt, cujus elegantiam nos quoque mirati ſumus, nec multos poſt dies ejus vaſtitatem per fundi poſſeſſoris ſive ſocordiam, ſive avaritiam deflevimus. Alia vermiculata muſiva albi, nigrique coloris lapillis imagines referentia habemus a Petro Sancti Bartholi delineata, ac a Joanne Petro Bellorio, & Michaele Angelo Cauſſeo illuſtrata (*b*), quæ Auguſti ætate conſtructa ſunt, ac nonnullis tabulis expreſſa, quarum decimaſexta Neptunum repræſentat, qui tridentem ſiniſtra manu de more geſtat, dextra autem Delphinum ſtringit. Hoc autem repertum eſſe in Regione Tranſtyberim, dum nova ædificia inter S. Calixti, & S. Franciſci Templa ædificarentur, teſtatur Bellorius, qui naumachiæ Auguſti veſtigia eſſe putat non minus, ac Amphitriten, ſeu aliquam ex Nereidum ſororibus marino vectam equo in tabula decimaſeptima expreſſam.

Bina alia pavimenta muſiva ad Portam Capenam effoſſa delineata viſuntur in tabula decimaoctava, & decimanona, quæ illius temporis elegantiam redolent, quæque ad nympheum Aquæ Claudiæ ab Appio Claudio in Urbem invectæ proximum ſpectaſſe cenſet laudatus Bellorius, in quorum altero

(*a*) Monument., ſive Columbar. Liviæ, tab. XIX., & XX.

(*b*) Pictur. antiq. Romanæ edit. anno MDCCXVIII. tab. XVI. & ſeqq.

tero Neptunum quadrigâ per undas vectum, habenas læva manu tractantem, dextera verò tridentem videmus: Nereides, ac lætitia gestientes Cupidines tridentes, vel sagittas manibus portantes a Delphinis, aliisque marinis piscibus circumvectos. Piscatores quoque in cymbis adsunt, alii retia piscium plena contrahentes, alii cymbam remo agentes. Præterea varii pisces, monstrosaque maris animantia, ipsaque Amphitrite Delphino insidens. In altera tabula tres Nereides, quæ marinis vehuntur monstris, atque eadem Amphitrite Delphino vecta. Repræsentantur quoque Genii tridentes gestantes, nec non Delphini, aliique pisces. Tabulæ medium exhibet circulum octo distinctum radiis, quibus totidem ventorum genera significari existimat Bellorius. Alii quatuor venti Augusti ætate ex Musivo jacentes in area lapide Tiburtino intecta constructi sunt, ubi ingens Obeliscus erectus est, quem ex Ægypto in potestatem Populi Romani redacta, Augustus ad Solis umbras in Campo Martio designandas advexerat, ut ex Pompejo Ugonio colligimus, (*a*) qui alterum ex illis ventis detectum refert prope Templum D. Laurentii in Lucina cum epigraphe: *Ut Boreas spirat*: Pomponii Læti, & Andreæ Fulvii authoritate sententiam suam confirmans. Hic autem Obeliscus humo obrutus, & multas in partes confractus Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. providentiâ e terra erutus est, dum novarum ædium fundamenta ponerentur. Atque tunc temporis T. Julium Augusti Libertum Nicephorum Musejarium floruisse comperimus ex epigraphe Romæ reperta, & quam nos supra ex Grutero exscripsimus (*b*). Hunc verò Artificem ex nomine Græcum fuisse aperte constat, & ad Tiberii imperium verius referendum addita, litterâ I. Titi prænomini, quod Augusto non convenit, atque ita mendosa epigraphe correcta, Tiberii, non Titi prænomen exprimat. Nonnulla Musivorum fragmenta, quæ pavimenti pars erant prope aquas Albulas in agro Tiburtino hac nostra ætate detecta

(*a*) Stazion. di Roma. Stazion 24. pag. 163.

(*b*) Pag. 3.

tecta sunt, ubi Marcus Agrippa eleganti cultu balinea ædificaverat, ibique Apollinis simulacrum, & columnæ Laconici marmoris repertæ sunt. Alterius Villæ ad utramque Anienis ripam positæ celebritatem, ac vermiculatorum operum præstantiam laudat Papinius, cujus carmina Capite II. jam retulimus, quibus Manlii Vopisci delicias, ac ædium luxum extollit, Domitiano imperante. Inter hujus temporis Musiva recensemus pavimentum, cujus supra meminimus in epigraphe a Muratorio edita (*a*) Consulibus L. NONIO TORQVATO ASPRENATE T. SEXTIO MAGIO LATERANO, quorum Consulatus habetur anno Urbis DCCCXLVII. ex Codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ in Fastis Consularibus editis a Cardinali Norisio. Plurima alia illorum temporum Musiva in Tiburtino agro multis in locis etiam hac nostra ætate reperta sunt, atque Effossorum ignavia, sive inscitiâ disrupta, præcipue verò in Hadriani Villa, ubi viginti, & ultra ædium pavimenta præclarissimis Lithostrotis exornabantur, quarum aliqua tristi, ac miserandæ aliorum vastitati incorrupta superfuerunt. Hæc autem curâ, & impensa nostra a fornicibus, quibus cohærebant, avulsa, atque in Urbem importata Musivariorum industria expolivit, atque lapillos marmoreos, ubi vel corrupti, vel deficientes forent, suffecit. Et si quando lapilli, quibus Musiva coaluerant, annorum injuria a massa, cui tenaciter adhærerent, disjuncti, vel nutantes inventi sunt, gypsum multa aquâ solutum infundere Quadratarios docuimus, ne inutili, vanoque labore disrupta pavimenta tollerentur, deindeque lapillis manibus continuo compressis, ac perfricatis, intacta, atque integra Musiva sublata sunt. Ut autem, & ad posterorum memoriam manerent, atque nostrarum ædium ornamenta essent, Musivariorum solertiâ in tabulas, & abacos immutari curavimus, quæ antea in diætarum pavimentis pedibus calcarentur. Binæ ex his tabulæ Sacratissimo Principi BENEDICTO XIV. in obsequii nostri argumentum oblatæ, inter alia celeberrima Signa Pontificis munificentiâ collecta in Museum Capito-

---

(*a*) Pag. 16.


Capitolinum invectæ sunt. In medio harum tabularum cubi existunt elegantioribus lapillis coagmentati, quos si ab uno latere respexeris, jacentes videas; si verò ab altero contempleris, erectos intueberis, quos prius videris inclinatos. Has vero ære incisas exhibemus tabula IV., earumque lapilli ex pretiosis marmoribus educti sunt Pario, Laconico, Synadico, Ægyptio, atque flavi coloris marmore, qualia fuerant diætarum omnium pavimenta. Non una tamen, & eadem erat pavimentorum species, sed quælibet diæta vario exornabatur opere, floribus etiam, & coronis quandoque intermixtis, quæ pavimenta in hac eadem tabula incidi jussimus. Varie enim positi, ac sociati lapilli multiplicem formam exhibent, ut perspicue ostendit Sebastianus Trouchet, (*a*) qui binos diversi coloris lapillos sexagintaquatuor diversis conjunctionibus poni posse probat incisarum tabularum demonstratione. Inter tot musivaria pavimenta duo præstantissima vermiculata opera fortunæ beneficio servata inventa sunt, alterum columbarum Sosi insigne opus, cujus elegantiam late supra retulimus, alterum, quod tres frondium, ac fructuum pendentes manipulos exhibet, quibus binæ aves insident, ac duos scarabeos flores delibantes. Hoc quoque ære incisum spectandum proponimus tabula V., ut aliorum judicium sit de Musivariorum artificum præstantia, qui Hadriani ætate vixerunt, quosque, ni fallimur, mirabili huic arti postremam dedisse manum arbitramur. Diætam, a qua columbarum Musivum avulsum est, sequebatur altera, in quo alterum vermiculatum fructuum erat. Hæc autem diæta dextero cœnationis lateri adhærebat, quam Oecon Ægyptium Vitruvius vocat (*b*) ejusque schema exhibet Peravultius. (*c*) Quamvis enim omnia cœnaculi ornamenta sublata sint, superextantes tamen parietes duplicem columnarum ordinem ibi fuisse ostendunt; atque ubi inferior pars erat, Signis, & Anaglyphis conclave decoratum fuerat, superior verò fenestris inter columnas dispositis

(*a*) Memoires sur les combinaisons: histoire de l' Accademie Royale des Sciences, annèe MDCCIV. pag. 483.

(*b*) Lib. 6. cap. 5.

(*c*) Ad lib. 6. Vitruv. pag. 217.

P. 8




P. 8

P. 4




P. 8


P. 4



P. 8

P. 4





P. 3

P. 7

IV



V



sitis distincta conspiciebatur, adeo ut nulla Templi forma ei sit, ut nonnulli suspicati sunt, quod perspicuum facit loci descriptio, quam exposuimus, & multo magis Vitruvii verba, quæ hìc referre opportunum putamus; *Corinthii simplices habent columnas, aut in medio positas, aut in imo, supraque habent epistylia, coronas, aut ex intestino opere, aut albario. Præterea supra coronas curva lacunaria ad circinum delumbata. In Ægyptiis autem supra columnas epistylia, & ab epistyliis ad parietes, qui sunt circa, imponenda est contignatio, supra eam coascatio, & pavimentum sub dio, ut sit circuitus. Deinde supra epistylium ad perpendiculum inferiorum columnarum imponendæ sunt minores quarta parte columnæ. Supra earum epistylia, & ornamenta lacunariis ornantur, & inter columnas superiores fenestræ collocantur* (*a*). Nec columnæ desiderabantur, quæ extremam ædificii partem ornarent; adhuc enim vestigia, certaque illarum indicia nostra ætate supersunt. Australem ejus partem & quæ mare respicit, magna area contingit musivario constructa opere, ubi nunc vinea adolevit. Ad cœnationem patebat aditus columnis flavi coloris marmoris hinc inde definitus, atque pavimento musivi operis exornatus. Utrique autem porticus lateri diætæ quamplurimæ adhærebant, quibus eadem pavimentorum luxuries erat, quamvis nonnulla ex eis antea disrupta a nobis reperta sunt. Ad has verò diætas ascensus erat scalâ viginti graduum, qui marmore salino constabant, alabastrite tamen obducti, postremumque ex illis virgulta casu enata integrum nobis servarunt, ut vestigia exquisiti, ac splendidi cultus post tot sæcula nostra adhuc ætate manerent. Ab instituto tamen nostro non alienum existimavimus hujus ædificii explicationem subiicere, quod tot excellentia Musiva exornarent, quæ illius temporis elegantiam, ac magnificentiam referrent.

Alia quoque pavimenta ad hæc priora sæcula revocamus quæ in elegantiorum Musivorum numero Ciampinus (*b*) reposuit, alterum inter antiquæ Prænestis parietinas repertum, ut ipse testatur, quod Europæ Agenoris Phenicæ Regis filiæ fabulam

(*a*) Lib. 6. cap. 5.

(*b*) Veter. monim. par. 2. c. 2. p. 5.

fabulam exhibet minutiſſimis lapillis coagmentatum in Barberinis ædibus exiſtens; alterum, in quo Aquila, aliæque domeſticæ aves exprimuntur, ubi & fœminam in mari ſtantem ſiniſtra manu equo blandientem, dextera verò Nereidem amplectentem profert, (*a*) quod in Palatio Chiſii Principis aſſervatur; nec non aliud in antiquo monumento inventum tertio ab Urbe lapide extra Portam Aſinariam via Latinâ, in quo Somni imago repræſentatur. Horum omnium ſchemata edidit Ciampinus.

Quibus aliud addidit in Mevaniæ Oppido apud Umbros detectum, nigris tamen, albiſque lapillis tantùm, & grandioribus compactum, in quo tres Delphini, duæ Locuſtæ, unus Polypus repræſentantur, nec non Neptunus tridentem manu geſtans. Alii quoque piſces viſuntur, quorum tamen pars magna dilapſa eſt, & diſrupta. Hoc poſtremum Muſivum exiſtimat Ciampinus balnei uſui antiquitus accommodatum. Cujus ſententiæ nos quoque accedimus, quia in Tranſtyberina Regione alia vermiculata opera jam ſupra retulimus, ubi aderant Thermæ, & Piſcinæ publicæ, in quibus Dii marini expreſſi conſpiciuntur; aliaque duo refert Montfaucon (*b*) in nympheis detecta, in quorum altero marinorum Numinum ſchemata nigris lapillis formata fuerant, reliqua pavimenti parte albis lapillis conſtructâ; in altero verò ſchemata albis lapillis conſtabant, pavimento nigris lapillis coagmentato, hæcque forſan putamus eadem eſſe, quæ a Bellorio illuſtrata ſupra retulimus.

His addenda putamus alia tria vermiculata pavimenta ad Divi Stephani Ædes in Cœlio monte reperta tribus expreſſa tabulis, ac a laudato Bellorio illuſtrata. Bacchi cornigerum caput tabulæ vigeſimæ medium tenet: Pavo, Aquila, Gallus, & Anas, aliæque minores aves, floribus intermixtis, tabulæ reliquum exornant: Vigeſimaprima tabula Herculem exhibet clavâ Centaurum percutientem. Ibi quoque quatuor ſunt aves, Noctua, Columba, Gallus, & Aquila, frondeſque miro

(*a*) Vet. Monim. part. 2. cap. 2. pag. 4.

(*b*) Tom. I. Supplemen. au. livr. de l'Antiquit. chap. 7. pag. 71.

miro artificio contextæ totam integunt tabulam. In alia Medusæ caput visitur serpentibus circumdatum, reliqua verò tabulæ pars eleganti coalescit opere. Non dissimili artis ministerio compacta alia bina pavimenta in Villa Corsina reperta sunt, in quorum altero Bacchus equo insidens, & calicem manu tenens, præter quatuor animalia, Leonem nempe, Taurum, Tigridem, & Capreolum; in altero conspicitur Proserpinæ raptus, & Plutonis currus quatuor junctus equis. Atque hæc omnia Musiva nigris tantùm, albisque lapillis compacta sunt; Cum verò hujuscemodi pavimenta minoris pretii essent, in Balineis, in Piscinis, in Porticibus ædium, locisque ignobilioribus frequentabantur, ut compertum est non tam ex iis, quæ mox retulimus, quàm ex sequentibus, quæ nunc adiicimus. Dum enim Clemente XI. imperante, C. Plinii Cæcilii Secundi Villæ rudera in agro Laurentino detecta sunt a nobili viro Marcello de Sacchettis apud Sanctam Sedem Oratore Melitensi, porticuum pavimenta nigris, albisque lapillis tantùm coaluisse reperta sunt, ut ex ejus schedis, quæ apud nos sunt, colligitur. Hujus Villæ descriptionem nobis idem Plinius reliquit, (*a*) illiusque ichnographiam post illas terræ egestiones delineatam servamus. Haud dissimile pavimentum non longe a Soracte monte prope Templum Feroniæ adhuc conspicitur in agro Capenatium situm, quod aliud esse ab altero Feroniæ Templo in Sabinis perspicue ostendit præstantissimus Fabrettus (*b*). Paucis quoque ab hinc annis Bergomi detectum fuit aliud pavimentum prope Civitatis plateam, quam veterem Cives vocant, albis tantùm, nigrisque calculis, sed grandioribus constructum, atque inter ignobiliora Musiva reiiciendum. Templorum verò, ac splendidarum ædium pavimenta, vel peregrinis marmoribus in varias formas resectis, vel multiplicis coloris lapillis minutissimis sternebantur. Hujusmodi pavimenti variegatis lapillis strati reliquiæ jacent in via, quæ Tusculum euntibus occurrit, non procul a turri, cui Mediæ Viæ nomen est, sed perpetuo pulvere consepultæ, ac nisi ingruentibus

imbribus,

(*a*) Epist. 17. ad Gallum lib. 2.

(*b*) Inscript. cap. 6. p. 452. & seqq.

imbribus, ac redundante aqua conſpiciendas ſe præbent, ut nobis ſemel videre contigit. Prope Tuſculum verò in vinea Nobilium de Cavaleriis vermiculatum opus ſua ætate repertum fuiſſe refert Montfaucon (*a*) in quo Vir, & Fœmina ambo Sacerdotes viſebantur velati, aliæque quatuordecim hominum imagines, a quibus ſacrificium ſolemne indicari putat Æſculapio, & Hygiæ oblatum. Nonnullis tamen in locis defluxum erat Muſivum, ut in ejuſdem ſchemate videtur, quod edidit laudatus Montfaucon; cæterùm coloribus violaceo, rubro, viridi, flavo, ac nigricanti expreſſæ erant hominum effigies. His addimus Muſiva apud Lanuvium reperta prope viam Appiam, ubi Signa totius Familiæ Antoninæ inventa ſunt, quorum meminit laudatus Præſul Blanchinius (*b*), nec non alterius pavimenti floribus contexti, quod ipſe conſpexit, prope plateam SS. Apoſtolorum Urbis detecti, dum novæ domus fundamenta ponerentur, quod ad Baſilicam Ulpiam pertinere arbitratur.

Inter antiqui Tuſculi rudera proxime elapſis annis non pauca diætarum pavimenta a Patribus Societatis Jeſu, dum amplo conſtruendo ædificio manum admoviſſent, detecta ſunt muſivo opere exornata variegatis lapillis compacto, quæ inter elegantioris formæ vermiculatum inventum eſt Meduſæ caput referens. Alia quoque non longe ſuperſunt pavimenta in planitie, quæ Portii montis radices contingit. Atque, dum hæc ſcribimus, vermiculata pavimenta prope Olibanum, quod quarto a Præneſte lapide diſtat, reperta ſunt, minutis, ac multiplicis coloris lapillis contecta, ſed maxima ſui parte dilapſa, eamdemque in Muſivis vaſtitatem nos invenimus in planitie, cui mons Cœlius imminet, ubi egeſta humo latiſſimam aream deteximus, quam variæ animalium ſpecies verſicoloribus lapillis integebant, quarum vix aliqua parva veſtigia, iteratis frumenti ſationibus, ſupereſſent.

Non tamen in Urbe, aut in ſuburbanis tantùm hujuſmodi pavimenta inventa ſunt, verùm in Provinciis quoque frequen-

(*a*) Supplem. de l' Antiquit. tom. 2. pag. 78.

(*b*) Cap. 2. del Sepolcro de' Servi della Caſa d' Auguſto.

frequentata, ibique reperta recensemus. Primo, vel secundo Imperii sæculo adscribendum putat Sponius (a) vermiculatum opus Lugduni detectum in vinea domini Cassaire anno MDCLXXVI., in quo repræsentabantur Terminus, sive Hermas, Genius, Satyrus, & Sylvanus, cujus schema ære incisum exhibet; nec non alterius prope Nemausum mentionem facit, quod asportatum refert ad Villam Fontis Blandi Regis Christianissimi; aliud quoque pavimentum nuper detectum est albis, nigris, rubrisque lapillis constans inter antiqui Fani rudera, quod Dianæ fuerat dedicatum [b]. Neque inter Germanos, & Britannos desiderata sunt vermiculata pavimenta. Augustæ siquidem Windelicorum detectum est egregiæ artis Musivum, in quo quadratis spatiis distincti gladiatores erant, nominibus ipsorum inscriptis, bigæ, metæque videbantur, Gallus, Gallinaque. Aliqua tamen sui parte disruptum Musivum Gruterus exhibet, (c) ex Velsero, qui luculenta interpretatione illud illustrat. Aliud pavimentum in Anglia primùm innotuit anno MDCCXII., in Loco, cui nomen Stanfield non procul a Voodstochio longitudinis triginta pedum, quindecim verò latitudinis, ut in Pitisci Lexico. Has tamen mensuras schemati non convenire ait Montfaucon (d). Lapillis quibus coagmentatum est, coloris sunt rubri, nigri, albi, & cineritii, nec quartam pollicis partem latitudo excedit. Medium tenet Bacchus Tigridi gradienti insidens, manu ramum gestans pampineum: alterâ verò scyphum inversum, ac pampinis caput coronatur. Quatuor pavimenti angulos totidem aves, quarum singulæ altero ramum pede tenent, exornant, verùm temporis injuriâ haud parum corruptæ. Tria alia elegantiora pavimenta in Anglia apud Wellon prope Aquas Solis in Agro Somersetensi anno MDCXXXVII. mense Junio detecta, atque ære incisa exhibuit Societas Antiquaria Londinensis, quorum alterum ad triginta duorum pedum longitudinem protenditur, latitudo


H 2 verò

(a) Recherch. d'Antiquit. Dissert. 2.
(b) Giornale delle novelle letterarie di Firenze, fol. 14. MDCCLI.
(c) Pag. 336.
(d) Supplem. au livr. de l'Antiquit: tom. 2. pag. 39.

verò vigintiduobus pedibus definitur. In pavimenti medio Pavo conſpicitur, quem tamen non ad perfectam delineavit artis rationem Muſivarius; pavimenti reliqua pars eleganti exornatur opere. Aliud longitudine conſtat viginti pedum, quindecim verò latitudine, atque in lateribus habet binos Canes rudiori tamen forma expreſſos: lapillis verò mirabili ſtudio diſpoſitis totum pavimentum integitur. Poſtremum verò in longitudinem pedum decem, & ſeptem, in latitudinem verò quinque pedum producitur, & variegatis, atque eleganti cultu diſtributis lapillis compactum eſt.

His addimus alterum ex Sardinia petitum, quod ex Jacobo Pinto refert Bulengerus (*a*) repertum fuiſſe operis vermiculati floribus, avibuſque intertextum; nec non alia pavimenta inter antiquæ Æmoniæ rudera, (*b*) quæ mediterranea Iſtriæ Civitas fuit; aliudque, quod Viterbii detectum eſt anno MDCCXX. ut ſupra retulimus in vinea Comitum de Buſſis longitudinis palmorum ſexaginta, viginti verò latitudinis. Lapilli, quibus Muſivum coaluerat, omnes erant vel cinerei nigricantis coloris, vel albi. In Meduſæ tamen capite, in Pavonibus, aliarumque ſpecierum formis, rubri, & cærulei colores non deerant. Minervæ Templum opinatur fuiſſe Montfaucon; (*c*) quippe ibi hujus Deæ ſymbola obſervantur, & quamvis inter hæc Pavo etiam ſit, qui Junonis eſt ſymbolum, tamen Minervæ ſigna frequentius occurrere animadvertit laudatus Montfaucon. Inter antiquiora Muſiva alia duo reponimus, alterum, quod paucis ab hinc annis Fani detectum in publicum Civitatis Palatium fuit aſportatum. Hoc albis, nigriſque tantùm lapillis coaleſcit, ac erectum Neptunum exhibet tridentem dextera manu geſtantem, quem vehunt quatuor marini equi, nec palmorum trium, & unius unciæ longitudinem excedit: alterum verò verſicoloribus conſtructum lapillis inter antiqui ForiSempronii rudera inventum eſt, & a nobili Familia Comitum de Paſſioneis in proprias Fori-Sempronii

(*a*) De Picturis lib. 1.
(*b*) Ughell. Ital. Sac. de Æmonen. Epiſcop. in princ. Tom. 5. pag. 219.
(*c*) Supplem. au livr. de l'Antiquit. tom. 2. pag. 39.



VI



17

Sempronii ædes illatum, cujus ære incisi singulari in nos comitate, & benevolentia copiam fecit multiplicis doctrinæ laude celebrandus Dominicus Passioneus S. R. E. Cardinalis Amplissimus, quodque legentibus nunc primùm exhibemus in hac Tabula VI.

Quibus adiicimus tessellatum pavimentum Veronæ existens prope Cathedralem Ecclesiam, cum epigraphe, quæ illorum, qui pecuniam contulerunt, nomen servavit, ut habemus ex Blanchinio (*a*):

E V S E B I A   H I M E R I A   M A R I N
C V M S V I S   C V M S V I S   C O L. C V M
T E S S E L L A   P. C X X   S V I S P. X.
V I T P. C X X.

Pavimentorum elegantia, quæ in Templorum, ac privatarum ædium splendorem primis duobus Imperii sæculis a Romanis exculta est tam in Urbe, quàm in Provinciis Romano Imperio adjectis, sensim imminuta est Septimii Severi Principatu, quo sane tempore & reliquæ liberales artes ab eximio earum cultu deciderunt, ut manifestam rem faciunt Signa, atque ædificiorum reliquiæ, quæ ad illam, & sequentem sunt ætatem referendæ. Illius tamen temporis opus tessellatum habemus ex Anonymo Authore commentationis in antiqua monumenta Tigurina, quam Tom. VII. Amœnit. dedit Schelhornius: & ad eamdem tempestatem referenda putamus sex tessellata pavimenta in Helvetiis eruta prope Augustam Rauracorum, Agauni, Eberoduni, & Aventici, de quibus egit Marquardus Wildius in Apologia pag. CLXXVIII. & pag. CXCIV., cujus nos librum non vidimus, sed scimus ex eodem Anonymo Authore apud Schelhornium §. XI.; forte unum ex his illud est, quod in antiqua Helvetiorum Urbe repertum dicit Sponius (*b*); Plures aves continet, & Consulum nomina in medio inscripta.

POM-

(*a*) Cap. 2. del Sepolcro de' Servi della Casa d'Augusto.

(*b*) Recherch. curieus. d'Antiqu. Dissert. 2. pag. 32.

POMPEIANO ET AVITO COSS. KAL. IAN.

Consulatus autem Tiberii Claudii Pompejani, & Lolliani Aviti in annum incidit nonum supra Ducentesimum Salutis reparatæ, & post tertium Consulatum Marci Aurelii Antonini Caracallæ. Peregrina tamen marmora ex Provinciis Urbem advehebantur sequentium quoque Imperatorum ætate, qua maxima ædificia constructa sunt, nec Lithostrotorum usus, quamvis minus frequentaretur, a Romanis moribus recesserat. Celeberrimæ Villæ exoticis marmoribus instructæ exemplum Capitolinus (*a*) reliquit, qui Villam via Prænestina a Gordianis excitatam his verbis describit: *Villa eorum* (idest Gordianorum) *via Prænestinâ, ducentas columnas uno peristylio habens, quarum L Caristeæ, Claudianæ L, Synnades L, Numidicæ pari mensura sunt, in qua Basilicæ centenariæ tres: Cætera huic operi convenientia, & Thermæ, quales præter Urbem, ut tunc, nusquam in Orbe terrarum.* Neque suspicandum est augendo hujus excellentis ædificii cultui musivaria pavimenta defuisse, quamvis ea silentio præterierit Capitolinus, reliqua Villæ ornamenta illis verbis complexus: *& cætera huic operi convenientia*; nihil enim magis Villæ splendori conveniens erat, quàm ubi tot peregrinæ columnæ locum exornarent, Lithostrotis quoque ædium pavimenta niterent: Maxime quia ex eodem Capitolino (*b*) habemus, Gordianum hujus nominis Tertium, præter Nymphea, & Balnea, Porticum in Urbe ædificare instituisse in Campo Martio, *ubi medium Lithostrotorum brevibus columnis, altrinsecus positis & sigillis per pedes mille, quod esset deambulatorium*; quibus sane verbis nonnisi musivarium opus exprimitur.

Non tamen hic Musivorum luxus diætarum pavimentis tantùm est additus, verùm ad hominum, rerumque effigies repræsentandas in ædium parietes invectus est. Commodo siquidem imperante, Porticum Musivo exornatam refert Spartianus,

(*a*) In Gordianis. (*b*) In Gordianis.

tianus, ut ſupra retulimus his verbis: *Hunc* (ideſt Peſcennium Nigrum) *in Commodianis Hortis in porticu curva pictum de Muſivo inter Commodi amiciſſimos ſacra Iſidis ferentem*. Hinc illorum improbamus ſententiam, qui muſivaria opera, quibus pavimenta ſternuntur, ab aliis diſcriminant, quibus obducuntur parietes, ita ut Muſivum pavimentis tantùm adaptetur; quæ fuit ſententia Joſephi Scaligeri, (*a*) & Caſauboni (*b*) vel muſivariam artem ad parietes ſolum referri, pavimenta ad quadratariam, ut cenſuit Du-Cange, (*c*) ſive omnia quoque ſigilla, imagineſque complecti, quæ ex lapillis marmoreis, ſive hyacintis, unionibus, carbunculis, aliiſque gemmis coaleſcunt, ut exiſtimavit Bulengerus; (*d*) non enim Muſiva a loco, ubi opus conſtructum eſt, nomen uſurpant, ſed a minutis teſſerulis cujuſcumque ſpeciei ſint, illud compingitur, ad muſivarios Artifices ſpectat: idemque dicendum eſt, ſive lapillis veris, vel fictis Muſivum coaleſcat.

Maxime verò mirandum eſt hanc excellentem artem tunc quoque fuiſſe excultam, cum Romanum Imperium per Gallieni ſocordiam, atque ignaviam tot Tyranni invaſiſſent. Tetricorum namque domum in Cœlio monte ſitam deſcribit Trebellius Pollio, (*e*) ubi utrumque Tetricum, ac Aurelianum, qui poſtea in Imperio ſuceſſit, muſivario opere pictos refert, cujus verba jam ſupra recenſuimus Capite primo.

Aureliano quoque imperante Lithoſtrota in uſu fuiſſe manifeſta res eſt. Cum enim, ut pericula, ac tumultus ab Urbe ſubmoveret Imperator poſt Monetariorum ſeditionem, muros, ac Urbis pomœrium ampliaſſet, ut refert Flavius Vopiſcus (*f*) in eorum turribus, & decurſoriis pavimenta muſivo opere conſtructa ſunt, ut ex Cœlii Rhodigini teſtificatione, (*g*) qui ait: *In Turribus, & decurſoriis mœnium Romæ videre eſt opere teſſellato expicta, diſtinctaque pavimenta, nec non obductos cruſtis parietes*. Alia demum muſivaria pavimenta avulſa

(*a*) Ad lib. 5. Manilii.
(*b*) Ad lib. 1. Svetonii.
(*c*) In Gloſſario verb. *Muſivum*.
(*d*) De Pictur. lib. 1. cap. 8.
(*e*) In Tetrico Juniore.
(*f*) In Aureliano.
(*g*) Lect. Antiq. lib. 26. cap. 32. pag. 1480. edit. Francof. anni 1664.

avulſa vidimus variegatis, ac peregrinis marmoribus compacta, virides, vagaſque pinus referentia, ubi Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ Villam fuiſſe probabili conjectura ducimus, cui, poſteaquam aureis catenis onuſta Aureliani triumphum illuſtriorem fecerat, in Tiburtino non longe ab Hadriani Villa ager conceſſus eſt, ubi cum Liberis Matronæ Romanæ more vitam egiſſe narrat Trebellius Pollio, (*a*) cujus verba non multum favere putamus illorum ſententiæ, qui non ſecus, ac ab Aureliano actum cum ea illiberaliter fuiſſet, ad occidentalem Hadrianæ Villæ plagam prope aquas Albulas Zenobiæ Villam locarunt, ubi ager ſterilior eſt, ac propinqua Mephitis moleſtam ſane habitationem feciſſet, immo veriſimilius ſitam fuiſſe putamus in amœniori loco prope D. Stephani colles, & ut Matronæ Romanæ more commode, ac non indecore vitam privatam duceret.

Neque hic pavimentorum cultus minori in pretio eſt habitus a ſequentis ætatis Imperatoribus. Cum enim Diocletianus Auguſtus non pauca ædificia conſtrui curaſſet, Thermas nempe miræ in Urbe amplitudinis, earumque pavimenta teſſellato opere intecta, Diocliam a ſuo nomine appellatam, Salonam in Illyrico novis quoque operibus exornaſſet, ac tertio ab éa lapide ſplendidum matri palatium excitaſſet, cui nunc Spalati nomen eſt, poſteaquam, Salona a Slavis direpta, ac deletâ, Salonenſes Cives ex Inſulis, in quas ſe receperant, in continentem reverſi Spalatum habitare cœperunt, teſte Thoma Archidiacono, (*b*) quem ſequitur Joannes Lucius, (*c*) ad hæc uſque tempora inter antiquæ Salonæ rudera muſivaria pavimenta, humo vomere proſciſsâ, perſæpe deteguntur, ut a fide dignis Spalatenſibus accepimus; atque hæc eadem Lithoſtrota Diocletiani palatio acceſſiſſe indubiam fidem fecit Pavimentum paucis ab hinc annis Spalati detectum, ubi marmorum peregrinorum copia, ac immenſæ molis columnæ exquiſiti ſpeciem adhuc cultus præſeferre videntur.

CAPUT V.

(*a*) In Zenobia.


(*b*) Hiſtor. Salonitan. Pontific., atq. Spalaten. cap. 4. 8., & 10.

(*c*) Regno Dalmatiæ, & Croatiæ, lib. 3. pag. 150.

DE MUSIVIS

CAPUT V.

De Sacrorum Ædificiorum Musivis a Constantini Magni ætate ad X. usque Sæculum constructis, vel reparatis: deque Musivariæ Artis Studio nunquam in Italia intermisso.



Ucusque splendida Musivariæ artis opera vel ad augendum in prophanis Templis pavimentorum nitorem, vel ad publica ædificia exornanda, aut ad potentiorum Civium luxum frequentata fuisse vidimus. Nunc tandem post vanæ superstitionis tenebras Templis in Urbe, ac Imperii Provinciis, Constantini Magni pietate, vero Numini excitatis, hunc Musivorum cultum in Vaticana Basilica consecratum exhibemus, ubi pavimentum, ac Templi parietes Musivarii Artifices exornarunt, ut ex MS. Codice Tiberii Alpharani Vaticanæ Basilicæ Scriptoris, qui Sixti V. ætate floruit, hausit Ciampinus, qui hujus antiqui Templi intercolumnium describens, quod quinque navibus constabat, ait (*a*): *Harum Columnarum Capitula Corinthia, & epistylia maxima super Capitula e Pario marmore quadrata erant & signis Musivis decorata*: & pagina subsequenti (*b*) *Hæc Basilica a pavimento usque ad summitatem parietum, & laquearia tota ex Musivo, variisque picturis veteris, ac novi Testamenti depicta:* nec non

I

(*a*) De Sacris Ædific. a Constantino Magno constructis cap. 4. pag. 33.

(*b*) Eodem Cap. pag. 34.

nec non *totam Apſidem*, nempe Altaris B. Petri, *figuris elegantiſſimis opere vermiculato elaboratis ornavit*, ideſt Conſtantinus, ut Ciampinus proſequitur, (*a*) qui pavimentum quoque his verbis deſcribit: *Pavimentum Baſilicæ ſtupendis, eximiiſque rotundis, ac quadratis compactum, variis etiam diſcoloribus albis, porphyreticis, Ægyptiacis, Numidicis, deauratiſque implicatum, & conteſſellatum erat marmoribus* (*b*). Neque Templi fronti Muſivariæ imagines deerant, quas ære inciſas late recenſet (*c*). Ad hanc Conſtantini ætatem alia vermiculata opera, quæ in Eccleſia S. Conſtantiæ prope alteram D. Agnetis viâ Nomentana ſuperſunt, referenda eſſe putant Nardinius, aliique recentiores Scriptores, quamvis huic ſententiæ Fulvius, Marlianus, Lucius Faunus, aliique adverſentur, exiſtimantes Templum hoc Bacco ſacrum, a ſuperſtitioſo deinde cultu a Conſtantino expiatum: ædificii, ac Muſivi elegantia, quæ politioris ſæculi præſtantiam redolet, in cauſa fuit, cur & Ciampinus (*d*) his adhæſerit. Quia verò Sacræ Imagines rudiori oculis intuentium occurrunt artificio compactæ, ut & noſtrum, qualecumque ſit, judicium feramus, has tantùm in Conſtantini ætatem coniicimus, reliquas verò ad antiquius florentis artis miniſterium reiicimus. Ab his tamen, ne actum agamus, recenſendis abſtinemus, cum eas exhibuerit, atque illuſtraverit laudatus Ciampinus. Imperatori morem gerens D. Silveſter Pontifex, in Domitianis Thermis, quas in Dei cultum ſacraverat, Salvatoris, Beatæque Virginis, nec non ſui ipſius imagines de Muſivo pictas exhibuit, ut ex Philippino refert Cl. V. Boldettus, qui in Callixti Cœmeterio ſua ætate detectas fuiſſe aves, floreſque lapillis compactos teſtatur (*e*). Non minori cura in Oriente Conſtantini pietas eluxit, qui ad novas Eccleſias conſtruendas epiſtolam dedit (*f*), qua a Præſidibus Provinciarum, ac ab Officio Præfecturæ Prætorianæ peterent, quæ ad im-

(*a*) Eod. cap. 4. pag. 42.
(*b*) Pag. 35.
(*c*) Pag. 37.
(*d*) Cap. 3. della Chieſa de' SS. Silveſtro, e Martino.
(*e*) Lib. 2. cap. 15. pag. 522. e 523. oſſervazioni ſopra i Cimiteri de' SS. Martiri.
(*f*) In vita Conſtantini lib. 2. c. 46.

ad impenſas faciendas neceſſaria eſſent, atque inter plurima Templa, quæ conſtrui Imperator juſſit, nonnulla variegatis marmorum cruſtis, atque muſivo opere exornaſſe teſtis eſt Euſebius (*a*) novam Baſilicam in Hieroſolymitana Civitate ædificatam deſcribens his verbis: *Tranſgreſſus inde eſt ad vaſtiſſimum locum libero patentem cœlo, cujus ſolum ſplendido lapide conſtravit, longiſſimis undique porticibus ad tria latera additis;* Et infra: *cujus interiora* (ideſt Baſilicæ) *quidem verſicoloribus marmoris cruſtis obtecta ſunt.* Alterius quoque Templi, quod Conſtantinus Conſtantinopoli excitaverat, mentionem facit Euſebius: (*b*) *cumque Templum omne in immenſam altitudinem extuliſſet, vario lapidum genere ſplendidum reddidit, a ſolo ad cameram uſque marmoreis cruſtis illud operiens. Porro cameram lacunaribus minutiſſimi operis obducens totam auro imbracteavit. Et ſupra quidem æs tegularum loco impoſitum univerſo ædificio munimentum adverſus imbres præbebat. Quod itidem auro plurimo ſuperfuſum reſplendebat; adeo ut procul ſpectantium oculos præſtringeret, Solis radiis æris objectu repercuſſis. Totum verò ſolarium reticulatis quibuſdam anaglyphis ex ære, & auro fabrefactis erat circumdatum.* Hoc autem Templum anno a Chriſto nato Tercenteſimo trigeſimo ſeptimo abſolutum fuiſſe putat Valeſius; (*c*) manifeſtam autem rem facit Lex, quam Conſtantinus Maximo inſcripſit, ubi de Muſivariis Artificibus fit mentio (*d*).

Nec a propoſito alienum putamus alium Euſebii locum afferre, ubi de Templo a Paulino Tyri Epiſcopo exornato loquitur: *Quin etiam ne ipſum quidem ſolum negligendum putavit: quod cum mirum in modum marmore exornaſſet, inde ad ea, quæ extra Templum ſunt, converſus exhedras, & œcos ampliſſimos utrinque ſumma cum peritia fabricavit* (*e*). Hæc autem Euſebii loca aperte demonſtrant, muſivaria opera a ſtulta Gentilium ſuperſtitione ſacris Dei Templis invecta, ejuſque cultui tunc temporis conſecrata. Neque tamen procedente

I 2 ætate

(*a*) Idem lib. 4. cap. 58.

(*b*) In vita Conſtantini lib. 4. c. 58.

(*c*) In Annotat. ad lib. 4. Euſeb. cap. 58.

(*d*) Cod. Theod. lib. 3. tit. 4.

(*e*) In vita Conſtantini lib. x. cap. 4. pag. 475.

ætate a privatorum ædium luxu ea receſſiſſe compertum eſt, ut habemus ex Quinti Aurelii Symmachi Senatoris, & Urbis Præfecti epiſtolis; Is enim de privatis balneis loquens, ait (a) *In minoribus balneis piſcinalem picturis potius, quàm Muſivo excoli non probavi*; quam conſuetudinem & priſcos Romanos in balneis retinuiſſe jam ſupra vidimus. Et in alia epiſtola (b) *Novum* (inquit) *Muſivi genus & intentatum ſuperioribus reperiſti, quod etiam noſtra ruditas ornandis cameris tentabit affigere, ſi vel in tabulis, vel in tegulis exemplum de te præmeditati operis ſumpſerimus*. Novum hoc tamen Muſivi genus, quod Symmachus laudat, allata ejuſdem verba perſpicuum, ac manifeſtum non faciunt. Veriſimile tamen putamus Symmachi verba ad Muſiva, quæ non marmoris, ſed fictis lapillis compacta ſunt in varios colores tinctis, illiſque auro obductis referri, qui mos præcipue Templorum abſidi, ac teſtudini exornandis tam in Urbe, quàm in Provinciis ob peregrinorum marmorum inopiam, ac novæ artis ſtudio communiter receptus eſt.

Inter antiquiora Templa Urſianum occurrit ab Urſo Ravennatium Archiepiſcopo Ravennæ conſtructum, qui vixit anno Tercenteſimo ſeptuageſimo octavo, cujus Templi teſtudinem vermiculato opere exornatam fuiſſe refert Rubeus (c). Ad ſæculi quinti initium alterius Ravennatis Eccleſiæ S. Agathæ majoris Muſivum Ciampinus refert, illiuſque ſchema exhibet, quod Exuperantius illius Civitatis Epiſcopus conſtruxit (d). Novum SS. Nazarii, & Celſi Templum Galla Placidia Ravennæ excitavit anno Quadringenteſimo quadrageſimo, cui deinde Gallæ Placidiæ nomen fuit, ibique Muſivariæ imagines depictæ, (e) atque hujus operâ anno Quadringenteſimo primo in Baſilica D. Pauli, via Oſtienſi Arcus triumphalis Muſivo decoratus eſt, quod ad noſtram uſque ſtetit ætatem, (f) atque Clementis XII. tempore a Muſivariis noſtris reparatum. Neonem

(a) Lib. 6. Epiſt. 49.
(b) Lib. 8. Epiſt. 42.
(c) Hiſtor. Ravennat. lib. 2. p. 58.
(d) Veter. monim. par. 1. cap. 22. pag. 184., & ſeq.
(e) Rubeus Hiſtor. Ravennat. lib. 2. pag. 58.
(f) Ciampin. veter. monim. par. 1. cap. 24. pag. 228.

Neonem quoque Ravennæ Antiſtitem anno Quadringenteſimo quinquageſimo primo Templum S. Joannis in Fonte inſtauraſſe, atque muſivariis imaginibus ejus tholum exornaſſe narrat Ciampinus, (*a*) eaſque, aliaque muſivaria opera, in Liberiana Baſilica Urbis a Sixto III. Pontifice anno Quadringenteſimo vigeſimo tertio ad augendum Eccleſiæ decorem de novo addita, (*b*) quæ latiſſime, atque ſapienter explicat Ciampinus, & poſt eum Blanchinius (*c*). Neque huic Baſilicæ pavimentum Muſivo compactum deerat; Nam dum hæc ſcribimus, antiquum Muſivum detectum eſt, diſrupto juſſu Sacratiſſimi Principis BENEDICTI XIV. Templi pavimento, ut novum, atque nobilius marmorum, ac lapidum integumentum accedat.

Apud Lateranenſem Baſilicam Hilarus Pontifex in exaltationis SS. Crucis honorem Oratorium conſtruxit anno Quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, *Nympheum, & triporticum ante Oratorium &c. in medio cancellis æreis, & columnis cum faſtigiis, & epiſtyliis undique ornatum ex Muſivo*, ut ſcribit Anaſtaſius (*d*) quod Sixti V. tempore vetuſtate fatiſcens dirutum fuit, ac Muſiva diſrupta, quæ plurima fuiſſe narrat Pompejus Ugonius (*e*). Neque ſilentio prætereundæ ſunt muſivariæ imagines in Eccleſia S. Sabinæ Urbis a Cœleſtino I. anno circiter Quadringenteſimo vigeſimo quarto concinnatæ, ut non ſpernendis conjecturis affirmat Ciampinus (*f*). Hunc Muſivorum cultum in Provinciis quoque non defeciſſe teſtis eſt C. Lollius Apollinaris Sidonius, qui Conſentio V. C. Civi Narbonenſi ædificiorum luxum celebrans, cecinit (*g*).

Non ſi quos eboris trabes refractis
Roſtris marmarici dedere Barri,
Figis mœnibus, aureaſque portas
Exornas aſaroticis lapillis.

& alio loco (*h*). *Ædes*

(*a*) Veter. monim. par. 1. cap. 19. pag. 178.
(*b*) Ead. par 1. c. 22. p. 195. & ſeqq.
(*c*) De Sac. Imagin. in Baſi. Liberiana.
(*d*) In vita Hilari. pag. 76. edit. Roman.
(*e*) In Stat. Urb. pag. 46.
(*f*) Veter. monim. par. 1. cap. 21. pag. 186. & ſeqq.
(*g*) Carmin. 23. in Narbone.
(*h*) Lib. 2. Ep. 10.

Ædes celsa nitet, nec in sinistrum
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitat ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.
Distinctum vario colore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras,
Ac sub versicoloribus figuris
Vernans herbida crusta saphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.

Huic ætati verisimiliter tribuenda putamus duo Musivaria opera, alterum, quod in Ecclesia Cathedrali Nemausi constructum supra retulimus (*a*); alterum quod in Ecclesia S. Remigii in Rhemensi Urbe fuisse narrat Bergierius (*b*) ex testimonio Anselmi Monachi in Itinerario Leonis IX. anno Millesimo quadragesimo nono. Aliud quoque Musivum Urbis in Ecclesia S. Agathæ in Suburra occurrit ex Ciampino (*c*) anno Quadringentesimo septuagesimo secundo a Flavio Recimero strenuo Duce Gotho constructum, cujus virtute anno tertio Imperii Severi Augusti Biorgorem Alanorum Regem in agro Bergomate occisum, ejusque exercitum fusum fuisse narrat Paulus Diaconus (*d*). Unde præstantem hanc artem Gothos pariter Romanorum artes æmulantes excoluisse minime mirandum sit. Italiæ enim Regnum, bis victo in agro Veronensi Odoacre Herulorum Rege, ac postea Ravennæ occiso, adeptus Rex Theudericus non Musivariam tantùm, sed & reliquas liberales artes magno in pretio habuit, ut colligimus ex formula Curæ Palatii, quam nobis servavit Cassiodorus, (*e*) his verbis: *Quidquid enim aut Instructor parietum, aut Sculptor marmorum, aut æris Fusor, aut Camerarum* (f) *Rotator,*

(*a*) Cap. 4.
(*b*) De viis militaribus, lib. 2.
(*c*) Veter. Monim. par. 1. cap. 28. pag. 250. & seq.
(*d*) Histor. lib. 16.
(*e*) Lib. 7. variar. in formula Curiæ Palatii.
(*f*) Edit. Aurel. Allobrog. 1622. Sumptibus Petri, & Jacobi Chovet,: CAMERUM habent Edit. Rotomag. 1679. Ant. Dezallier, & Parisien: 1583. apud Novellium.

Rotator, aut Gypſoplaſtes, aut Muſivarius ignorat, te prudenter interrogat, & tam magnus ille fabrilis exercitus ad tuum recurrit judicium, ne poſſit aliquid habere confuſum. Vide ergo quanta debet noſſe, qui poſſit tantos inſtruere. Recipis certe bonæ diſpenſationis tuæ uberrimum fructum, cum tu de illorum labore laudaris, ſi ab eis diligenter facta monſtraveris. Quapropter quidquid ad te pertinet, ita decenter, ita firmiter volumus explicari, ut ab opere Veterum ſola diſtet novitas fabricarum. Palatium itaque Ticini excitatum a Theuderico habemus, quod Agnellus conſpexit Muſivario opere exornatum, ut ipſe teſtatur (*a*) his verbis: *Palatium Theuderici, & Tribunalis Cameras teſſellis ornatas.* Ejuſdem quoque Regis effigiem in Neapolitana Urbe vermiculato opere expreſſam afferimus, quam funeſto deinde Gothorum omine ſenſim dilapſam tradit Procopius (*b*): *In Foro videbatur Theuderici Gothorum Regis effigies ex lapillis compacta minutis admodum & verſicoloribus fere ſingulis. Hujus caput olim vivente Theuderico defluxit, turbatis ſponte ſedibus lapillorum, ac brevi Theuderici conſecutus eſt obitus.* His muſivariis operibus ad hujus Principis laudem adjicimus Eccleſiæ S. Mariæ in Coſmedin Ravennæ pavimentum, ubi fons aderat, quo ſacri Baptiſmatis aquâ pueri abluebantur; Ibi enim ab eodem Theuderico Muſivum conſtructum fuerat, in cujus medio D. Joannes Baptiſta Chriſtum baptizans conſpiciebatur, ad cujus dexteram vel Moyſes ſedens, ſi Fabri ſententiam ſequi lubet (*c*), vel Jordanes, ſi Ciampino fides habenda eſt (*d*) ſedebat, duodecim vero Apoſtoli in orbem ſtantes priores imagines circumdabant, ut apud Ciampinum videri poſſunt, qui Muſivum hoc ære inciſum in lucem hominum edidit; Hinc Ennodius Epiſcopus Ticinenſis cecinit (*e*):

Unam de variis ſpeciem componere fruſtis
Qui potuit, ſaxum duxit in obſequium.

Atque adeo liberalium artium ſtudio Gothi Principes incenſi fuerunt,

(*a*) In vita S. Petri Senioris.
(*b*) De Bello Gothico lib. 1. cap. 24. pag. 45. edit. Venet.
(*c*) In memoriis antiquæ Ravennæ.
(*d*) Vet. moniment. par. 2. pag. 78.
(*e*) Lib. 2. Carm. 91.

fuerunt, ut reparandis, ac custodiendis Romanæ Urbis ædificiis & pecunias de suo ærario largiti sint, & gravibus indictis pœnis eorum violatores persequi curaverint. Frequentia hujusmodi exempla petenda sunt e Cassiodoro, præsertim verò ex epistola Symmacho Patritio inscripta (*a*), qua Romani Theatri Curator præficitur his verbis: *Et ideo Theatri substructionem magna se mole solventem consilio vestro statuimus esse roborandam, ut quod ab auctoribus vestris in ornatum Patriæ constat esse concessum, non videatur sub melioribus posteris imminutum*: & paulo infra: *& ideo expensas vobis de nostro cubiculo curavimus destinare*. Et in formula Comitivæ privatarum, & ejus excellentiæ (*b*): *Ne quis vestita marmoribus sepulcra nudaret, ne quid columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret*.

Quibus addimus epistolam Theodahadi Regis Honorio Præfecto inscriptam, qua jubet Elephantes æneos in via Sacra stantes fulciri, ne ruant (*c*); aliamque Reginæ Amalasventhæ (*d*), qua a Justiniano Imperatore sibi potestatem fieri postulat marmora, quæ in Græcia emerat, in Italiam advehendi.

Hinc patet quàm aliena a veritate sit illorum sententia, qui inanem vulgi sermonem aucupantes publicorum Urbis ædificiorum ruinas barbaris Gothorum Regum moribus, culpæque adscribunt, nec satis causæ fore putant diuturnam Occidentalis Imperii vacationem, ac publici ærarii, deficientibus Provinciarum vectigalibus, diminutionem. Multa siquidem pecuniâ opus erat, quæ tot immensæ magnitudinis molibus servandis, reparandisque sufficeret, sublatis Servitiis, ac imminuto Civium numero. Ad Templorum, Theatrorum, Circorumque eversionem non parum quoque contulit piorum Christianorum Religio, ut Gentilium superstitio, pravique mores ex Urbe nondum nefario falsorum Numinum cultu expurgata omnino tollerentur, ut luculenter ostendit Petrus Angelius Bargæus (*e*).

Sed

(*a*) Lib. 4 Variar. Epist. ultima.
(*b*) Lib. 6. Variar.
(*c*) D. lib. 6.
(*d*) Lib. x. Variar. Epist. 30.
(*e*) Epist. ad Petr. Usimbardum de privator. publicorumque ædificior. Urbis Romæ eversoribus.

Sed ut inſtitutum ſermonem perſequamur, anno Quadringenteſimo ſexageſimo octavo Eccleſiam S. Andreæ in Barbara Simplicius Papa vermiculatis imaginibus decoravit, atque hujus Muſivi reliquiæ ætate adhuc Ciampini (*a*) extabant, ut ipſe teſtatur. Aliorum quoque Muſivorum memoriam in Urbe nobis ſervavit Anaſtaſius (*b*) qui Symmachi Pontificis res geſtas recenſens anno Quadringenteſimo nonageſimo octavo ait: *Baſilicam verò B. Petri marmoribus ornavit, & cantharum B. Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, & ex Muſivo agnos, cruces, & palmas fecit.* Narrat autem Ciampinus (*c*) ſupra januas quadriporticus intus in parietibus de Muſivo pictam Salvatoris in throno ſedentis imaginem, nec non Divos Apoſtolos Petrum & Paulum, Angelos, alioſque Sanctos, vermiculato opere expreſſos. Altare quoque Divo Michaeli Archangelo ſacrum in Eccleſia S. Andreæ ad D. Petrum ab eodem Symmacho conſtructa Muſivis imaginibus exornatum refert laudatus Ciampinus (*d*). Ad hanc ætatem veriſimile putamus referenda eſſe Muſiva, quorum veſtigia in Eccleſia S. Felicis Aquilejæ adhuc ſupereſſe Cl. V. Bertolus teſtatur (*e*).

Deleta demum apud Italos Gothica dominatione, alia miræ pulchritudinis Muſiva Ravennæ conſtructa ſunt. Cum enim Templum D. Vitali ſacrum Juliani Argentarii operâ a Juſtiniano Imperatore fuerit excitatum, triennio poſt a die, qua celeberrimum Sanctæ Sophiæ Templum, quod in Victoriatorum ſeditione ignis abſumpſerat, ut refert Theophanes (*f*), Conſtantinopoli idem Imperator ædificaverat, anno nempe Quingenteſimo quadrageſimo primo, ut narrat Rubeus (*g*), non ſolum ejuſdem Templi pavimentum teſſellato, & vermiculato opere intectum fuit, verùm Eccleſii Archiepiſcopi, Maximiani pariter Archiepiſcopi, Juſtiniani, ac

(*a*) Vet. monum. pag. 1. cap. 27. pag. 242.
(*b*) In vita Symmachi pag. 87. edit. Rom.
(*c*) De Ædific. Conſtantin. cap. 4. Sect. 10. pag. 83. & ſeq
(*d*) Ibi Sect. II. pag. 86.
(*e*) Dell' Antichità d' Aquileja pag. 340.
(*f*) Pag. 154.
(*g*) Hiſtor. Ravenn. lib. 3. pag. 153.

ni, ac Theodoræ Auguſtorum, Sacerdotum, aliorumque Imperialis Aulæ Procerum imagines Muſivarii manu expreſſæ ſacelli majoris teſtudinem ſplendide illuſtrarunt; ibique vas aqua redundans erat, in cujus medio columba expanſis alis aquam diſpergeret. Horum autem Muſivorum ſchemata, quorum altera a cornu Euangelii, alia ad lævam Altaris partem ſunt poſita, publici juris fecit Ciampinus (*a*), ſed columba deſideratur, quam in Muſivo deeſſe contra Rubei teſtimonium aperte contendit. Eodem ſane tempore Eccleſius Archiepiſcopus paternas ædes in Templum erexit B Mariæ Virgini ſacrum, quam Majorem appellavit, atque in Eccleſiæ teſtudine B. Mariæ imaginem excellenti artificio formatam fuiſſe refert laudatus Rubeus (*b*). Maximianum quoque, qui ei in Archiepiſcopatu ſucceſſit, Agnelli teſtimonio (*c*), Eccleſiam D. Stephani a ſclo ædificaſſe, ejuſque effigiem *in Tribunæ cameris teſſellis variis elaboratam* poſuiſſe compertum eſt. Agnellus autem ejuſdem Urbis Archiepiſcopus Eccleſiæ S. Martini, quæ vocatur Cœlum aureum, *parietes de imaginibus Martyrum, Virginumque teſſellis decoravit, & pavimentum Lithoſtrotis mire compoſuit*, ut obſervavit Ludovicus Muratorius (*d*). Alterius Muſivi mentionem facit Ciampinus (*e*), quod in Bibliotheca prope Eccleſiam S. Michaelis Archangeli anno Quingenteſimo quadrageſimo quinto conſtructum fuit, ut lapis antiquus demonſtrat, ibique abſidem refert vermiculato opere decoram. Inter hujus Sæculi Muſiva pavimentum quoque recenſemus teſſellato opere conſtructum, quod Tergeſte repertum narrat P. Ireneus a Cruce (*f*) in eruendis fundamentis majoris Cappellæ Eccleſiæ B. Mariæ Virginis Maris nuncupatæ hac epigraphe inſcriptum:

RVFINVS CVSTOS PRO VOTO SVO
FIERI CVRAVIT PAVIMENTVM
A N. D X V.

Neque

(*a*) Vet. monim. par. 2. cap. 9. pag. 65. & ſeq.
(*b*) Hiſt. Ravennat. lib. 3 p. 153.
(*c*) In vita Maximiani.
(*d*) Antiquit. Ital. med. ævi tom. 2. pag. 362.
(*e*) Vet. monim. part. 2. cap. 8. pag. 63.
(*f*) Lib. Hiſtor. Tergeſt. pag. 256.

Neque ad Ecclesiarum ornamentum tantùm Musiva usurpata tunc temporis fuerunt, verum prophano etiam privatarum ædium usui accommodata. Victor siquidem Ravennæ Archiepiscopus anno Quingentesimo quadragesimo sexto *balneum juxta domum Templi* (idest Ursiani) *quod ad Archiepiscopatus muros pertinebat, restituit, præstanti marmore parietes vestiens, pavimento autem tessellati, vermiculatique operis*, ut scribit Rubeus (*a*).

Paucis interjectis annis, aliæ binæ Ecclesiæ musivariis imaginibus Ravennæ exornatæ occurrunt, altera S. Apollinaris in Classe nuncupata; altera autem S. Apollinaris Novi intus Civitatem; utramque autem laudat Ciampinus (*b*), atque Musiva exhibet, ideoque ab illis referendis abstinemus.

Quod autem Ravennæ Justinianus illustrando Musivariis imaginibus D. Vitalis Templo præstiterat, excellentiori cultu, ac cumulatissime perfecit in Constantinopolitana Urbe, ubi ampli S. Sophiæ Templi celebritati, ac splendori augendo animum intendens columnas, ac pretiosa marmora in illud invexit, ac mirabili artificio compactis lapillis magnam parietum partem integendam curavit, ut perspicuam rem faciunt Pauli Silentiarii verba, quæ afferimus (*c*): *At priusquam in multas partes dissectarum tessellarum splendor accederet, lapidarius manu sua tenues lapillos marmoreos contexens, veluti in tabellis, mediis in parietibus descripsit cornu vinculis illigatum, uberi fructuum varietate oneratum, unà cum calathis, & foliis: avem verò in ramis sedentem expressit. Post præclaros istos meatus palmitibus auricomis innixa circumserpit vitis, tortuosum nectens obliquis corymbis vinculum: sensim verò propendet, donec vicinum lapidem volubili fulgentium frondium textu tantisper obumbret.* Hic Musivorum cultus Regalibus quoque Imperatoris ædificiis est additus, ut Imperii Sedes, cujus potentiæ, ac dignitati Wandalis, Gothisque subactis, tot Provinciæ accreverant, majori etiam luxu, ac splendore niteret, cujus rei testis est

(*a*) Lib. 3. pag. 157.
(*b*) Par. 2. cap. 11. pag. 79. & seqq. & cap. 12. pag. 89., & seqq.

(*c*) In Descript. S. Sophiæ par. 2. vers. 230. in hist. Byzant. post Cinnamum. Edit. Parisien. pag. 516.

Procopius (*a*), qui inquit: *Tota Camera picturis ridet, non ceris inustis, illitisque compacta, sed apta tesserulis colorum omnium varietate nitentibus, quæ cum aliarum rerum cujuscumque generis, tum hominum imagines repræsentant*; & paulo post *Intus præclare omnia incrustata sunt marmore ad tesseras usque in superiori parte compositas, non modo quæcumque humo surgunt, sed ipsum etiam pavimentum. Illorum autem marmorum quædam Laconica smaragdum æquiparant, quædam ignis flammam imitantur: pleraque candore nitent, non utique simplici: quippe, cui color cæruleus undatim intercurrit*: quæ verba satis clare ostendunt Musivorum tunc temporis præstantiam, quibus pavimenta integerentur, ac parietes variegatis marmorum lapillis obducti essent.

Verùm, ùt unde digressi sumus, in Italiam revertamur, inter alia hac ætate Urbis Musiva, quæ recenset Anastasius, primo occurrit Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani a Felice III. alias IV. dicata, ut ex Bibliothecario (*b*), atque Andrea Fulvio contendit Ciampinus (*c*), anno Quingentesimo, & trigesimo, atque ejusdem imagines aliqua earum parte defluxas exhibet, idemque præstitit in Ecclesia D. Stephani in Monte Cœlio. Hoc tamen opus a Joanne I. inchoatum Felix perfecit, ut habetur ex epigrahe sequenti inter Gruterianam collectionem relata (*d*).

OPVS QVOD BASILICAE BEATI MARTYRIS STEPHANI
DEFVIT A IOANNE EPO MARMORIBVS INCHOATVM
IVVANTE DNO FELIX PAPA ADDITO MVSIVO
SPLENDORE SANCTAE PLEBI DEI PERFECIT.

Alteram quoque addimus epigraphen, quæ priorem Gruterianam subsequitur (*e*):

DNO

(*a*) Lib. primo de Ædifici. Justin. cap. 10. edit. Parisien. pag. 24.
(*b*) In Vita Felicis IV. pag. 67.
(*c*) Par. 2. cap. 7. pag. 49.
(*d*) Pag. MCLXIV. num. 17.
(*e*) Pag. MCLXIV. num. 20.

DÑO IVVANTE FELIX EPS DEI FAMVLVS
FORVM BASILICAE BEATI MARTYRIS
STEPHANI MVSIVO ET MARMORIBVS
DECORAVIT.

Aliud quoque Musivum refert Anastasius (*a*) in Ecclesia S. Laurentii in agro Verano, anno Quingentesimo septuagesimo octavo a Pelagio II. constructum, cujus effigies in Musivi angulo posita conspicitur, quod in lucem hominum Ciampinus edidit (*b*). Hinc perspicua res est, Musivariæ artis cultui Italos homines vacasse etiam tunc temporis, quo, anno Quingentesimo sexagesimo quinto sæva pestilentia vastatam misere Italiam ferox Langobardorum Gens, vix tribus elapsis annis, intraverat, in eaque duobus fere sæculis dominationem obtinuit (*c*); & tamen etiam tunc temporis tessellata pavimenta constructa sunt in Patriarchali Gradensi Ecclesia S. Euphemiæ, quam Helias Patriarcha, qui trium Capitulorum causa a Romana Ecclesia defecit, reparaverat, ac ornaverat. Nomina autem illorum, qui Musivi operis decus pavimento addiderunt, nobis servarunt epigraphæ, quas refert supra laudatus Bertolus (*d*), quasque iterum legentibus subjicimus.

L A V R E N T I V S V C
P A L A T I N V S V O
T V M C V M S V I S
S O L V I T E T D E D O
N V M D E I F E C E
R V N T P D C C

LAVTVS

(*a*) In Vita Pelagii II. pag. 114.
(*b*) Par. 2. cap. 13. pag. 101.
(*c*) Varnefrid. lib. 2. cap. 26. de Gest. Langobard.
(*d*) Dell' Antichità d' Aquileja pag. 342. e 43.

LAVTVS ACTOA
RIVS SCAE ECCL[S]
AQVILS CVM SV
IS VOT SOLVIT
SERVVS XRI
LVCINVS RO
MANA LVCIAN
NVS ET LVCIA
FECERVNT. PC

Plurima in Urbe Musiva sequenti ætate videbimus Pontificum studio, ac providentiâ Basilicis, atque Templis addita, quorum memoriam nobis servavit Anastasius, quæque injurias temporis effugerunt, illustravit Ciampinus. Anno itaque Sexcentesimo vigesimosexto Honorius Pontifex in Ecclesia B. Agnetis via Nomentana absidem ejusdem Templi ex Musivo construxit (*a*). Severinus Honorii successor post annum duodecimum S. Petri absidem restituit ex Musivo, quod a Constantini ætate pene fuerat dilapsum (*b*). Horum autem pietatem æmulantes sequentes Pontifices, ad ornandas alias Urbis Ecclesias, Musivariorum operam certatim assumpserunt. Joannes enim IV., anno Sexcentesimo quadragesimo primo Oratorium S. Venantio sacrum, quod Lateranensi Patriarchio adhærebat, Musivariis imaginibus decoravit (*c*).

Refert quoque Ciampinus (*d*) ad annum Sexcentesimum octuagesimum secundum D. Sebastiani imaginem in Ecclesia S. Petri ad Vincula de Musivo pictam, atque ad annum Sexcentesimum octuagesimum octavum alterum vermiculatum opus

(*a*) In Vita Honorii pag. 120.
(*b*) In Vita Severini pag. 123.
(*c*) In Vita Joannis IV. 124.
(*d*) Par. 2. cap. 17. pag. 114.

opus in S. Euphemiæ Templo constructum (*a*) a Sergio Pontifice, quem prius in Basilica Principis Apostolorum anno Sexcentesimo octuagesimo septimo Musivum, quod aliqua sui parte in fronte atrii ejusdem Basilicæ defluxerat, innovasse, ac Paschalem Pontificem super altare arcum ex Musivo construxisse, testis est Anastasius (*b*).

Idem plane Musivorum studium frequens in Urbe fuit etiam sequenti sæculo; anno siquidem Septingentesimo tertio Joannes VII. Pontifex Maximus Musivum opus construi jussit in Vaticana Basilica Sanctissimæ Virginis imaginem referens. Hoc Musivum opus, cum anno MDCIX. a Paulo V. Summo Pontifice vetus Vaticanum Templum funditus dejectum fuerit, Florentiam translatum fuit, & in Cappella nobilium Ricciorum, quæ est in Templo D. Marci, collocatum, ibique adhuc visitur, addita hac epigraphe, longa quidem, sed quæ rem omnem monstrat: *Vetusta hæc Dei Genitricis imago in Vaticana Basilica supra Portam Sanctam Oratorio olim a Joanne VII. Pont. Max. Sal. anno DCCIII. constructo diu servata, atque ad hanc diem religiosissime culta, cum jam Templum illud in augustiorem formam redigendum deturbaretur, e ruderibus eruta est, & ne qua aut saltem minima in eam devotionis jactura fieret, in hanc aram Romá translata CIↃIↃCIX.*: Anno etiam Septingentesimo quinto parietes Oratorii S. Dei Genitricis intus Basilicam B. Petri ab eodem Joanne VII. Musivariis imaginibus obductos fuisse habemus ex Anastasio (*c*), quarum memoriam post novam Vaticani Templi reædificationem nobis servavit Turrigius (*d*). Triplex ibi erat D. Petri effigies tribus in Civitatibus concionantis, cum litteris: *Civitas Hierusalem, Civitas Antiochia, & Roma*. Visebantur etiam SS. Petrus, & Paulus coram Nerone Imperatore Simonem Magum alloquentes, cum literis *Magus*: Simon ex aëre præceps, Apostolis Petro, & Paulo orantibus: Annunciatio B. Mariæ, ac B. Elisabeth Visitatio: Domini

(*a*) Part. 2. cap. 18. pag. 118.

(*b*) In ejus Vita pag. 153. & in Vita Paschalis pag. 318.

(*c*) In ejus Vita pag. 156.

(*d*) De Cryptis Vaticanis Part. 2. pag. 117. ad pag. 121.

Domini nostri Nativitas: Adoratio a Magis habita: Præsentatio Christi in Simeonis manibus: Cœcus oculorum lumini restitutus: Ingressus Christi in Civitatem Hierusalem jumento insidentis: Crucifixio Domini nostri; Maria adstans, ac prope eam Joannes VII. manibus Cappellam gestans panno contectam, quam Virgini obsequens offert (*a*). Narrat quoque idem Turrigius (*b*), ex hujus antiquissimi Sacelli ruinis aliud Musivum, in quo Infantis Jesu nativitas exhibetur, ibique mulier flexis genibus brachium porrigens, ut sanetur.

Hujus Pontificis Musivum, quod in Vaticana Ecclesia construxerat, in Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedin translatum fuisse, & inter Vaticani Templi ruinas servatum tradit Ciampinus (*c*).

In Lateranensi verò Patriarchio anno Septingentesimo quadragesimo secundo a Zaccaria Pontifice ante Basilicam Theodori Papæ renovatum Triclinium, ac marmoribus, metallo, Musivo, ac picturâ decoratum refert Anastasius (*d*). Aliorum Musivorum mentionem faciunt Panvinius, (*e*) & Paulus de Angelis, (*f*) quæ Oratorio in Basilica B. Petri a solo constructo Gregorius III. Zaccariæ prædecessor adjecerat. Paulum quoque Pontificem scribit Anastasius (*g*) anno Septingentesimo quinquagesimo septimo Monasterium, ibique Ecclesiam in honorem SS. Stephani & Silvestri ædificasse, quam marmoribus, ac Musivo illustriorem fecit, & Oratorii B. Mariæ inter Turres, sive in Turri parietes, alteriusque inter Vaticanam Basilicam Sacelli Musivis, ac marmoribus integendos curavit (*h*).

Neque tamen id temporis Urbi tantùm laudi fuit hujus artis præclarissimæ studium, ac sacris ædibus a solis Romanis Pontificibus Musivorum honos est datus, verùm hujus gloriæ

(*a*) Idem Turrig. de Crypt. Vatican. par. I. pag. 117. ad 121.
(*b*) Idem par. I. pag. 57.
(*c*) De Sac. Ædific. cap. 4. Sect. 9. pag. [illegible].
(*d*) In ejus Vita pag. 189.
(*e*) De Septem Urb. Eccles. cap. 4. pag. 42.
(*f*) In Annotat. ad Petr. Mallium pag. 16.
(*g*) In ejus Vita pag. 217.
(*h*) Turrigius de Crypt. Vatican par. I. pag. 112.

gloriæ ſocios Reges quoque Langobardos adjungimus. Anno quippe Septingenteſimo vigeſimo quinto Baſilicam S. Anaſtaſii a fundamentis Olonnæ excitavit Luitprandus Rex, ut tradit Paulus Warnefridius (*a*), quam Muſivariis imaginibus exornaſſe ex Gruteriana epigraphe comperimus, ut obſervavit præſtantiſſimus vir Ludovicus Muratorius (*b*) eamque in legentium commodum hìc damus:

,, *Ecce Domus Dñi perpulchro condita textu*
,, *Emicat, & vario fulget diſtincta metallo;*
,, *Marmora cui pretioſa dedit, Muſeumque Columnas*
,, *Roma Caput Fidei, illuſtrant quam lumina Mundi.*
,, *Euge auctor ſacri, Princeps Leutbrande, laboris.*
,, *Te tua felicem clamabunt acta per ævum,*
,, *Qui propriæ Gentis cupiens ornare triumphos,*
,, *His titulis Patriam ſignaſti denique totam.*

Ad hæc ſane tempora referenda ſunt Muſiva, quorum fragmenta inter ruinas Civitatis Novæ, ſive Geminianæ in Agro Mutinenſi, annis proxime elapſis, reperta fuiſſe narrat Pellegrinus Rubeus (*c*). Hanc enim Urbem mœnibus firmatam a Luitprando Rege habemus ex epigraphe, quam refert idem Rubeus (*d*).

Unde certa res eſt Muſivariam artem etiam extra Urbem, atque in aliis Italiæ Civitatibus hac ætate excultam; ejuſque ſecuritati ſalubriter conſultum eſt a Nicæna Synodo Secunda, Hadriano Pontifice, Irene, & Conſtantino Auguſtis, quæ ad evertendam funeſtam ab Iconoclaſtis Sacrarum Imaginum vaſtitatem earum cultum his verbis decrevit, *Ita Venerabiles, ac Sanctas Imagines proponendas tam de coloribus, & teſſellis, quàm quæ ex alia materia congruenter in Sanctis Dei Eccleſiis, & Sacris Vaſis, & Veſtibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, ac viis* (*e*). Atque in hujus veritatis teſtimonium

L monium

(*a*) Hiſtor. Langobard. lib. 6.c.58.
(*b*) Antiquit. med. ævi. Tom. 2. pag. 363.
(*c*) In Vita S. Geminiani pag. 305.
(*d*) In Vita S. Geminiani pag. 305.
(*e*) Ac. ſeptima pag. 1206. tom. 8. edit. Venet.

monium MSm Codicem afferimus, qui in Canonicornm Lucensium Bibliotheca adservatur, cujus meminit Mabillonius ad Sæculum VIII., sive ad Caroli M. imperium illum referens, ut advertit laudatus Muratorius, (*a*) qui ex eodem Codice excerptam publici juris fecit compositionem quandam ad tingenda Musiva, quamque nunc iterum exhibemus peregrinis expressam nominibus, ac exscribentis inscitiâ vitiatam, quæ sic est.

De tictio omnium Musivorum.

,, Tictio omnium Musivorum Prasini Vitri de mundo deMassa Libras V. limatura ceramenti absque plumbum ÷ II. Et mitte in vaso nobo tecte, sufferens ignem, & decoquens inferiora fornace Vitriari, die VI. Et post hæc eice, & confrangis minutatim, & iterum conflas; Prasino tingues.

De inoratione Musiborum.

,, De inoratione Musiborum facis pecula plus crosa quejussans. Post hæc facis illa alia: & pones peculum heramentinum, ut incensum non herebit. Post hec pone pectalum aureum super pectalum vitri. Et supra ponis pectala, super alia multum supra pectalum auri. Et mittis utraque in fornace, donec inchoat solvi pectalum vitri; & postea ejcis, ut refridet. Et tolle: frigas faciem in tabulam plumbinam ismironienan, donec adtenues faciam; & coloras illud.

De Mosibum de Argento.

,, Mosibum de argento, secundò quod superius exposuimus, ita omnia facies.

Frequentiora tamen in Urbe Musivaria opera tunc temporis

(*a*) Antiquitat. med. ævi. tom: 2. pag. 366. edit. Mediol. 1739.

poris fuisse comperimus; Ecclesiam namque S. Marci anno Septingentesimo septuagesimo quarto Musivo exornatam Ciampinus narrat (*a*). Oratorium in Patriarchio Lateranensi Sanctus Zaccharias Papa construxit, *quod diversis marmoribus & vitro metallis, atque Musivo & picturâ ornavit* (*b*). Leo verò III. non solùm Ecclesias SS. Nerei, & Achillei, ac S. Susannæ ad duas Domos, sive inter duas Laurus Musivariis imaginibus honestavit; *Verùm Oratorium S. Crucis novo ædificio erexit, & ad perfectum usque perduxit, atque ipsam absidam ex Musivo diversis decoratam picturis, atque marmoribus miro splendore ornavit*, ut scribit Anastasius (*c*), quæ omnia in lucem edidit, atque illustravit Ciampinus.

Cum verò amplum Leo Triclinium prope Lateranensem Basilicam a solo excitasset, atque marmoreis parietes crustis operuisset, Absidem quoque Musivo opere elegantiorem fecit, insigne Romanæ Sedis monimentum; quippe quod vexilli traditione Carolum Magnum Ecclesiæ Romanæ defensorem a Pontifice designatum ostenderet. Hoc præstantissimum Musivum longinqui temporis fugâ servatum ad nostram usque stetit ætatem, ac nonnisi proxime elapsis annis, imperante Pontifice Clemente XII., ut area Laterani Templi in ampliorem latitudinem protenderetur, ædibus, quibus adhærebat, disjectis, sublatum, ac disruptum est, adeo ut BENEDICTI XIV. Successoris Pontificis largitate, novis parietibus ad areæ latus constructis, antiquæ vermiculati operis imagines a Musivariis nostris ex antiquo exemplari Vaticani Archivi iterum compactæ sint, atque ita perennis prisci monimenti memoria posteris maneret. Rem itaque hæc legentibus gratam facturos existimamus Anastasii verba huc afferre: *Fecit autem* (idest Leo) *in Patriarchio Lateranensi Triclinium majus super omnia Triclinia nomini suo miræ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmissima, & in circuitu laminis* marmo-

(*a*) Par. 2. cap. 19. pag. 119.
(*b*) In Vita Leonis III. pag. 195.
(*c*) In Vita Paschalis pag. 189.

marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit, & diverſis columnis, tam porphyreticis, quàmque albis, & ſculptis, cum vaſibus, & liliis ſimul poſtibus decoravit Cameram cum Abſida de Muſivo, & alias duas Abſidas, diverſas hiſtorias pingens marmorum ſuper incruſtatione pariter in circuitu decoravit (*a*). Anno Septingenteſimo nonageſimo ſeptimo Triclinium hoc Lateranenſe conſtructum fuiſſe putat Ciampinus (*b*). Anno verò antecedenti Pagius exiſtimat Jacobi Alamanni ſententiam refellens, qui nonniſi poſt Imperii dignitatem Carolo a Leone collatam, vexilli traditione expreſſam, anno Octingenteſimo ædificatum fuiſſe Triclinium, ac Muſivum poſitum contendit (*c*); & ſane Pagii ſententiæ adhærendum probabilius videtur; neque enim Regio tantùm nomine Carolus in Muſivo honeſtandus fuiſſet, poſtquam Imperator fuerat renunciatus. Huic quoque ſententiæ accedit Raſponus (*d*) quamvis, & forte rectius, non vexilli traditione, ſed paludamento, & corona, ac populi acclamationibus, quæ in Muſivo ſunt, Imperii dignitatem collatam velit. Sive tamen uno, ſive altero anno Muſivum factum velimus, ad VIII. Sæculi finem referendum eſſe extra dubium eſt, atque tunc temporis vermiculatis operibus publica Urbis ædificia exornata oſtendimus.

Carolus verò ipſe, cui Hadrianus I. anno Septingenteſimo nonageſimo quinto poteſtatem fecerat, marmora, ac Muſiva Ravennæ Civitatis tam in Templis, quàm in parietibus, ac ſtratis ſita aſportandi, quò vellet, ſicut petierat, ut ex ejus Epiſtola XII. (*e*), anno circiter eodem, ut vult Muratorius (*f*), vel anno Octingenteſimo ſecundo, ut cenſet Ciampinus (*g*), novam Aquiſgrani Baſilicam excitavit, eamque Muſivariis imaginibus inſtruxit.

Haud

(*a*) In Vita Leonis III. pag. 277.
(*b*) Vet. Monim. par. 2. cap. 21. pag. 127.
(*c*) De Lateranenſibus Parietinis.
(*d*) De Baſilica, & Patriarchio Lateranen. lib. 4. cap. 11. pag. 341.
(*e*) A Baronio citat. ad ann. Chriſti DCCXCV.
(*f*) Tom. 2. Med. ævi pag. 364.
(*g*) Vet. Monim. par. 2. cap. 22. pag. 129. & ſeq.

Haud difficili exemplo, ſequentis ævi Pontificibus curæ fuit Urbis Eccleſias Muſivis ornatiores, & elegantiores reddere, ut narrat Anaſtaſius (*a*), qui Paſchalis I. res geſtas recenſens Templum Sanctæ Mariæ in Domnica, anno Octingenteſimo decimo quinto, Muſivo a Pontifice decoratum deſcribit, idemque ornamentum Baſilicæ Principis Apoſtolorum, anno Octingenteſimo decimo ſeptimo, additum, ubi arcum Muſivo exornatum decenter inſtruxit. Eccleſiam quoque S. Praxedis, anno Octingenteſimo duodevigeſimo, Cappellam S. Zenonis in eodem Templo, anno Octingenteſimo undevigeſimo, ac Eccleſiam S. Cæciliæ, anno Octingenteſimo, & vigeſimo, vermiculatis operibus exornaſſe habemus ex Anaſtaſio (*b*) & Ciampino (*c*). Tres alios pariter Pontifices nobis proponit Anaſtaſius (*d*), nempe Gregorium IV., qui, anno Octingenteſimo vigeſimo ſeptimo, in Baſilica Vaticana *Altaris Beati Gregorii abſidam ſuperaurato Muſivo depinxit*: Sergium II., qui, anno Octingenteſimo quadrageſimo quarto, *Templi SS. Silveſtri, & Martini abſidam aureis Muſivo perfuſo coloribus decoravit*: ac Leonem IV, qui, anno Octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, in Baſilica D. Petri *Oraculum miræ pulchritudinis, ſummique decoris conſtruxit, abſidamque ejus ex Muſivo, aureo ſuperinducto colore, glorifice decoravit*, ut verbis Anaſtaſii loquar (*e*); His alterum adjungimus Pontificem Benedictum III., qui circa annum Octingenteſimum quinquageſimum ſextum, *Abſidam majorem Eccleſiæ B. Dei Genitricis Tranſtyberim erexit ad meliorem ſtatum: Feneſtras verò vitreis coloribus, & picturâ Muſivi decoravit*, ut ſcribit Anaſtaſius (*f*). Neque in aliis Italiæ Urbibus Muſivorum cultus hac ipſa ætate interceptus eſt; anno ſiquidem Octingenteſimo trigeſimo ſexto, Ludovico Pio Auguſto, celeberrimæ Ambroſianæ Baſilicæ Odeum Muſivario opere Mediolani exornatum

(*a*) De Vita Paſchalis I. pag. 321.
(*b*) Ibidem pag. 324.
(*c*) Vet. Mon. p. 2. cap. 24. 26. 27. pag. 149. ad 154.
(*d*) In Vita Gregorii IV. pag. 336. Sergii II. 355. & Leonis IV. pag. 367.
(*e*) Vet. Monim. par. 2. cap. 28. pag. 162.
(*f*) In Vita Benedicti III. pag. 402.

natum eſt, quod illuſtravit Puricellius (*a*). Inſignis quoque Lithoſtroti anni Octingenteſimi quinquageſimi quinti memoriam nobis ſervavit Anonimus Salernitanus (*b*), qui Bernardi Epiſcopi res geſtas enarrans, poſtquam, relicta Urbe, Salernum petiiſſet, ait: *Eccleſiam inibi miræ pulchritudinis conſtrui fecit, & pavimentum parvulis teſſellis in vario colore componi juſſit*; adeo ut non ſolùm muſivariis imaginibus, illa ætate, ſacrarum ædium parietes operirentut, verùm pavimenta quoque parvis, ac multiplicis coloris teſſellis a Muſivariis artificibus integerentur. Alia duo Muſiva collegit Ciampinus, quæ Græci artificis manu elaborata fuiſſe putat, quorum alterum in Eccleſia S. Mariæ Novæ Urbis a Nicolao I., qui anno Octingenteſimo quinquageſimo octavo vixit, conſtructum eſt; alterum verò ad Seculi IX. exitum, vel X. initium refert idem Ciampinus, quod in Capuana Cathedrali Eccleſia, ſua adhuc ætate conſpiciebatur (*c*). Sæculi autem X. Muſiva recenſet laudatus Ciampinus (*d*) a Sergio III. conſtructa, qui, pacatis in Urbe diſſidiis, Baſilicam Lateranenſem fere collapſam reædificavit, ac univerſa Muſiva priſco nitori reſtituit, aliaque augendo elegantiorem fecit. Hinc miramur Leonem Oſtienſem tam miſere lapſum fuiſſe, dum ait, (*e*), anno MLXVI, Deſiderium Monaſterii Caſinenſis Abbatem Legatos Conſtantinopolim miſiſſe ad conducendos artifices in arte Muſivaria peritos his verbis: *Legatos Conſtantinopolim ad locandos Artifices deſtinat peritos in arte Muſivaria, & quadrataria, ex quibus alii Abſidam, & arcum, atque veſtibulum majoris Baſilicæ Muſivo comerent; alii verò totius Eccleſiæ pavimentum diverſorum lapidum varietate conſternerent. Quarum artium tunc ei deſtinati Magiſtri, cujus perfectionis extiterint, in eorum eſt operibus æſtimari; Cum & in Muſivo animatas fere authumet ſe quiſque figuras, & quæque virentia cernere, & in marmoribus omnigenum colorum flores pulchra putet diverſitate vernare.*

(*a*) In Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ.

(*b*) Apud Muratorium in Paralipomen. partis 2. tom. 2. Rerum Italic. cap. 84.

(*c*) Par. 2. cap. 28., & 29. a pag. 162. ad pag. 166.

(*d*) De Sacris Ædificiis Conſtantini cap. 1. pag. 8.

(*e*) In Chronic. lib. 3. cap. 28. & 29.

vernare: Et quoniam artium istarum ingenium a quingentis, & ultra annis Magistra Latinitas intermiserat, & studio hujus, inspirante, & cooperante Deo, hoc tempore recuperare promeruit, ne sane id ultra Italiæ deperiret, studuit vir totius prudentiæ, plerosque de Monasterii pueris diligenter iisdem artibus erudiri. Ostiensis errorem ejus quoque Scholiastes Angelus a Nuce adoptare non erubuit in notis, ubi inquit: *Scite a quingentis, & ultra, nempe a tempore Teuderici, qui omnes bonas artes eliminavit ab Italia, quarum ipsa Magistra fuerat.* Eliminanda vere est ab Italia Ostiensis, & Angeli a Nuce inepta, plenaque erroris sententia, quæ manifestæ historicorum veritati adversatur. Satis autem perspicue supra ostendimus Theudericum Regem, aliosque Gothicæ Stirpis Principes liberalium artium, ac Musivariæ cultui addictos fuisse, adeo ut in clarissima luce cæcutire videatur, qui damnandæ eversionis culpæ illos insimulet; atque tot vermiculata opera nos, servata Sæculorum serie, congessimus Scriptorum testimonio comprobata, ut Ostiensis, ejusque Scholiastis opinio eruditorum virorum judicio ab omnium mentibus, si forte in aliquibus insedit, omnino expungatur, atque perpetuæ oblivionis pœna mulctetur. Nam, etsi a Triclinio Lateranensi ad annum, quo a Desiderio Abbate, qui postea Victoris III. nomen inter Romanos Pontifices assumpsit, annos numerasset Ostiensis, quomodo affirmare potuisset per quingentorum annorum spatium Musivariæ artis studium in Italia interceptum fuisse? Quando nonnisi Ducentos, ac septuaginta circiter annos a Triclinio Lateranensi prope VIII. Sæculi exitum ædificato, ad annum ab ipso Ostiensi sub Desiderio designatum, intercessisse constat. Et tamen falsam adhuc annorum supputationem fecisset, postquam Musivaria opera tam in Urbe, quàm in Italiæ Civitatibus Sæculo IX., ac X. constructa huc usque ostendimus, quibus compertum est Musivariæ artis studium minime apud nos defecisse, ut nullo nixus testimonio perperam asseruit Ostiensis. Fateri quidem oportet, omnes liberales artes a pristina earum dignitate sensim apud Italos, Sæculo præsertim X., cecidisse, & ad eas excolendas nonnisi rudi ministerio instructos artifices accessisse; non inde tamen eorum sententiæ adhæremus, qui illas omnino deperditas,

perditas, ac extinctas fuisse authumant, non aliam ob caussam, quàm propter illius ætatis Scriptorum inopiam. Si enim Romanorum Pontificum vitas, qui Sæculo X. imperarunt, exscriptas haberemus, ut priorum fecit Anastasius, alia Musivorum exempla occurrerent, ut ait Muratorius, quæ a nobis in lucem proferri possent (*a*). Neque hanc artem apud Italos omnino interiisse ulla ratio suadet, præcipue in Urbe, ubi Musivorum cultum, longissima Pontificum serie ad hanc usque ætatem digesta, in more positum vidimus. Eoque minus Musivariæ artis interitus timendus erat, ubi tot antiquæ, ac recentes Musivariæ imagines oculis omnium obversabantur, easque reparare, ac servare oportuerat, ut ad nostra usque tempora stantes, ac custoditæ manerent. Neque, quia Sæculo XI., Quadratarios, ac Musivarios artifices e Constantinopolitana Urbe Desiderius evocaverit, conjectare licet has artes omnino in Italia periisse, ut Ostiensis affirmat; Sed quia Sæculo X. artes omnes unâ cum literis in rudi, ac impolito cultu versabantur, peritiores Musivarios aliunde exciverit Desiderius, quales Græci artifices essent, quod libenti animo Ostiensi dat laudatus Muratorius, cujus verba opportunum putamus hìc transcribere (*b*): *Itaque hoc unum libens Ostiensi dabo, videlicet, Sæculo decimo, quo mirum in modum unâ cum literis artes depressæ jacuerunt, Musivariam quoque languorem in Italia contrahere potuisse, ita ut facile coactus fuerit, subsequenti Sæculo, Desiderius Casinensis Abbas, qui postea Romanus Pontifex renuntiatus est, hujus artis peritos e Constantinopoli in usum suum evocare*. Abbati itaque Desiderio laudi datum est peritiores ex Oriente Musivarios in Italiam advocasse, quorum ministerio mirabilis hæc ars e quodam cœno emersit, ac sensim rudi, & informi delineatione rejecta, ad perfectiores, præstantioresque regulas, quarum tunc temporis expers erat, accessit, donec novo in dies incremento tandem, hac nostra ætate, feliciorum temporum elegantiam attingere visa est.

CAPUT VI.

(*a*) Antiquit. med. ævi tom. 2. diss. 24. pag. 362.

(*b*) Antiq. med. ævi tom. 2. diss. 24. pag. 364.

DE MUSIVIS

CAPUT VI.

Musiva ab XI. Sæculo ad nostram usque ætatem, nec non Musivarii, qui per hæc tempora inclaruerunt, referuntur.



Usivariam Artem ab Italiæ finibus nunquam peregrinatam fuisse huc usque contendimus; frequentiora Musivorum exempla, & non paucis in Urbibus exculta sequens nobis proponet ætas, quibus stabilem sedem, ac perpetuum domicilii locum Musivariis artificibus inter nos fuisse facile demonstrabimus. Atque primò recensenda a nobis sunt vermiculata opera, quorum ex Ostiensis testimonio supra meminimus, quæque, anno Millesimo quinquagesimo sexto, in Casinensi Ecclesia ab Abbate Desiderio constructa sunt. Hæc autem Ostiensis, aliaque novi Templi ornamenta sic describit (a). *Plumbeis igitur domatibus illam totam* (idest Basilicam) *cum titulo, & utraque porticu, ac vestibulo decenter operiens absidam, & arcum majorem Musivo vestivit, in cujus videlicet circuitus amplitudine aureis literis hos versus describi præcepit.*

,, *Ut Duce Te Patria justis potiatur adepta,*
,, *Hinc Desiderius Pater hanc Tibi condidit Aulam.*

& paulo infra: *Vestibulum autem Ecclesiæ desuper quidem Musivo fecit pulcherrimo cum super limineis arcubus decorari. Ab*

M inde

(a) Chronic. lib. 3. cap. 29.

inde verò usque ad imum pavimenti totam Basilicæ faciem gypso vestiri. Arcus etiam ejusdem vestibuli de foris Musivo nihilominus vestiens, versus Marci Poetæ inibi aureis literis scripsit. Nil tamen horum Musivorum ad nos pervenit, atque solius pavimenti reliquiæ recenti adhuc tempore supererant, quæ novo marmorum integumento nunc consepultæ sunt.

Aliud ex eodem Ostiensi Musivum (*a*) occurrit, quod anno Millesimo octuagesimo septimo ad novæ Ecclesiæ S. Nicolai de Littore ornamentum Venetiis accessit, *Quo die (consecratus est Victor Papa septimo idus Maji), Corpus S. Confessoris Christi Nicolai a Civitate Myrensi, ubi septingentis fere annis quieverat, Venetias translatum est, in cujus honorem ædificata est Ecclesia, Musivo tabulatu perquam decenter ornata; a Patriciis Venetis, & Monachis ibidem morantibus maximo cum honore veneratur, & colitur, quamquam nonnulli Barium translatum esse contendant*, ut scribit Leo, seu potius ad Leonem additamentum, ut notavit Baronius (*b*). Splendidissimo in hac eadem Urbe Templo in Divi Marci honorem excitato, cui reædificando D. Petrus Urseolus anno Nongentesimo septuagesimo initium dederat, quodque demum anno Millesimo sexagesimo sexto fuerat absolutum, Dominico Contareno Duce (*c*), sive Dominici Selví Ducis ætate, quæ Contarenum consequitur (*d*), præclarum sacrarum veteris, novique Testamenti imaginum decus addi a Musivariis artificibus cœptum est, quod in longissimos annos productum diuturnum, ac perpetuum huic arti domicilium Venetiis quæsivit. Inter antiquiores hujus Templi imagines S. Petri Urseoli olim Venetiarum Ducis, ac deinde Monachi Ordinis D. Benedicti effigiem vermiculato opere positam vult præstantissimus Præsul Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus, quam exhibet (*e*).

Tarvi-

(*a*) Chronic. lib. 3. cap. 63.
(*b*) Ad annum Christi MLXXXVII.
(*c*) Sansovin. Descriz. di Venezia lib. 1. cap. 1. & seqq.
(*d*) Idem fol. 128.
(*e*) Dissert. de S. Petro Urseolo cap. 21. pag. 67.

Tarviſinæ Urbis propinquitas ſequenti Sæculo Muſivarios ex Venetiarum Civitate accivit, quibus Cathedralis Eccleſiæ pavimentum variegato, & teſſellato opere integeretur, ut aperte oſtendit epigraphe anno MDCCXXXIX. reperta, dum Templi chorus renovaretur, quam a Muratorio (*a*) exſcriptam iterum exhibemus.

CRISTI MILLENVS CENTESIMVS ATQ. TRICENVS
VNDECIMVSQ. SVPER POSITVS DVM CVRRERET ANNVS
PRESVLE GREGORIO SVB VVALPERTO VICEDOMNO
PLANA PAVIMENTI SIC ARS VARIAVIT VBERTI
IMPENSAS (Cives) REDDEBANT TARVISIANI.

Gregorius autem præfuit anno Milleſimo centeſimo, ac trigeſimo Tarviſinæ Eccleſiæ, & per plures annos vitam duxit, ut habemus ex authographis inſtrumentis ab Ughellio collectis in recenſendis Epiſcopis Tarviſinis (*b*). Sæculi quoque XII initio, immo Milleſimo centeſimo, ac duodecimo, Muſivarios Ravennæ comperimus, quorum opera Urſiani Templi teſtudinem triplici vermiculati operis ordine exornatam ab Urſo Archiepiſcopo, ut ſupra vidimus, Hieremiam Archiepiſcopum reſtituiſſe putat Rubeus (*c*). Ad hanc ætatem referimus aliud Lugdunenſe Muſivum in Eccleſia Abbatiæ Athanacenſis, cujus pavimentum exhibet Romanum Pontificem Paſchalem II. Eccleſiam conſecrantem (*d*). Neque Urbi defuit hujus artis ſtudium; ſublato ſiquidem funeſto Petri Leonis ſchiſmate, Innocentius II. Baſilicam S. Mariæ Tranſtyberim, veteri disjecta, a ſolo excitavit, ejuſque pavimentum teſſellato exornavit opere: nonnullas quoque Muſivarias imagines Eccleſiæ Abſidi addidit, cui perficiendæ poſt ejus obitum, qui anno Milleſimo centeſimo, ac quadrageſimo quarto contigit, extremam impoſuit manum

 Cardi-

(*a*) Antiq. med. æv. tom. 2. diſſert. 24. pag. 363.

(*b*) Ital. Sac. tom. 5. pag. 518. & ſeq.

(*c*) Hiſtor. Ravennat. lib. 5. pag. 317. & ſeq.

(*d*) Vita di Monſig. Bianchini p. 51.

Cardinalis Episcopus Sabinensis, *cui Innocentius pro Ecclesia complenda sumptus necessarios reliquit, qui ad eum finem Ecclesiæ fabricam, prout videtur, deduxit*, ut narrat Historicus consecrationis Ecclesiæ, qui initio sequentis Sæculi vixit. Refert quoque Petrus Mallius, *S. Angeli Basilicam Vaticanum nuncupatam mirifico Musibo laqueatam auro, & vitro* (*a*) sua ætate, quæ incidit in annum Centesimum quinquagesimum nonum supra millesimum, sive Anonymus Canonicus Romanus author sit, anno Millesimo centesimo ac nonagesimo, ut est sententia Pauli de Angelis (*b*); ac nisi a seditiosis Civibus per annos quinquaginta super Urbis dominatione illata Pontificibus vis fuisset, plurima tunc temporis in Urbe compacta Musiva a nobis proferrentur, ut sub Clemente III. contigit, qui post redditam Urbi pacem, Lateranense Palatium multa statim impensâ reparavit, atque adjacentem Basilicam Musivariis decoravit imaginibus, anno circiter Millesimo, centesimo, ac nonagesimo, ut testatur Platina (*c*). Idemque Cælestinus III., qui eum consecutus est, tam in Vaticano, quam in Lateranensi Palatio præstitit, ut ex laudato Platina colligimus (*d*). Inter hujus ætatis Musiva pavimentum versicolorum marmorum lapillis compactum in Montis Regalis Templo enumeramus, quod in honorem B. Mariæ Dei Genitricis a fundamentis construxit Guilielmus II. Siciliæ Rex cognomento Bonus, cujus præpropera mors, quæ in annum Millesimum centesimum, ac octuagesimum nonum incidit, opus imperfectum reliquit, absolutum demum ab Henrico Cardinali de Cardona Abbate, & Archiepiscopo Montis Regalis, ut infra videbimus. Alia huic tempori Musiva adscribit Ciampinus (*e*) a Græcis Imperatoribus in Palæstina constructa, quæ exhibet ex Quaresmio (*f*).

Ad

(*a*) Descript: Basil. Vatican. cap. 16. pag. 58.
(*b*) In Annotati on. Basil. Vatican. In fine libri.
(*c*) In Vita Clement. III:
(*d*) In Vita Cœlestini III.
(*e*) Cap. 24. pag. 150., & cap. 58. pag. 182. in Parerg. de Sac. Ædific.
(*f*) In elucidationibus Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 5. cap. 39. Peregrin. prima, & lib. 6. cap. 13. Peregrin: secunda.

Ad decimitertii Sæculi initium referimus Musivum, quod Altari Beati Petri in Vaticano ab Innocentio III. est additum, sive potius ab eodem reparatum, ejusque effigiem ibi positam, quam cum cæteris imaginibus ære incisam profert Ciampinus (*a*) ex exemplari in ejusdem Basilicæ Archivo asservato, adhuc extantem, antequam vetus Ecclesia a Sixto V. Pontifice destrueretur, ut nos docet Turrigius (*b*), qui D. quoque Pauli imaginem ex Abside Innocentii III. in Vaticanas Cryptas translatam recenset in Sixtina Vaticani Templi demolitione (*c*). Totam verò Basilicæ S. Pauli Absidem renovavit Honorius III. Innocentii Successor, in qua Salvatoris imago in medio sedentis conspicitur; sinistrum latus SS. Petri, & Andreæ effigies exornant, dexterum verò SS. Pauli, & Lucæ, utrinque autem adultæ palmarum arbores positæ. Inferior Absidis pars exhibet reliquorum Apostolorum imagines, nec non SS. Marci, & Barnabæ, & binos Angelos, Honorium Pontificem ad Salvatoris pedes humo prostratum, & humiliori loco Joannem Cajetanum Abbatem in sinistro latere, in dextero autem Adinulphum Ædituum in genua procumbentes; medium verò implent quinque Innocentes Martyres, quorum cineres in hac Basilica adservantur (*d*). Hujus Pontificis effigiem ex Musivo ante atrium Basilicæ S. Laurentii in agro Verano adhuc extantem cernimus, ubi majorem Templi januam construxit.

Nec minori studio Gregorius IX., qui defuncto Honorio suffectus est, Vaticanæ Basilicæ frontem Deiparæ Virginis, Principis Apostolorum, Evangelistarum, & vigintiquatuor Seniorum vermiculatis imaginibus coronas offerentium exornavit, addita Pontificis ipsius effigie ante Salvatoris pedes prostrata. Hujus autem Musivi exemplum in Archivo Vaticano servari jussit Paulus V. in Vaticani Templi demolitione, ut testatur Jacobus Grimaldus (*e*). Nicolai III. Musiva

(*a*) De Sac. Ædific. Justinian. cap. 4. Sect. 2. pag. 43.

(*b*) Platina in Vit: Nicolai III.

(*c*) Part. 2. de Cryptis Vatican. pag. 238.

(*d*) Boldettus lib. 1: cap. 43. pag. 231. Osservazioni sopra i Cimiterj de' SS. Martiri.

(*e*) De Sacr. Ædific. Constantin. cap. 2. pag. 10.

Musiva pariter adjungimus, quibus Cappellam, quam Sancta Sanctorum nuncupamus, quæque temporum injuria corruerat, splendidiorem reddidit. Alteram quoque D. Nicolao sacram in Vaticana Basilica, ubi sepulchrum, in quo tumularetur, extruxerat, Quadratariorum, & Musivariorum cultu exornavit (*a*). Horum Pontificum mores æmulatus Nicolaus IV. Basilicæ Lateranensis frontem a solo ædificatam, adjecta porticu, ac Musivariis imaginibus honestavit, ut ex Ugonio in suis Stationibus Urbis hausit Ciampinus (*b*); atque hæc eadem Musiva, prius quàm novus Ecclesiæ prospectus, veteri disjecto, a Clemente XII. construeretur, in porticu adhuc extabant, eaque publici juris fecit Ciampinus, ad cujus Tabulas Musivariæ artis studiosos delegamus. Ejusdem pariter Lateranensis Basilicæ Absidem Musivis exornasse testis est Turrigius (*c*), operâ Jacobi a Torrita Musivarii ex Ordine Minorum, qui sui ipsius effigiem cum aliis S. Francisci Patribus Absidi adjecit. Aliis quoque Musivis Liberianam Basilicam idem Pontifex auxit, ornavitque, ubi in majori visuntur Abside Salvatoris, B. Mariæ, aliorumque Sanctorum imagines, sub quibus Nicolai Pontificis, & Jacobi Cardinalis Columnæ effigies. Aliæ quoque utrumque latus exornant, atque in lævo signatus est latere annus MCCXCV, in dextero autem Musivarii nomen his literis: *Jacobus Torriti Pictor hoc opus Mosaicen fecit*, ut refert Paulus de Angelis (*d*). Pavimentum etiam prope locum, in quo tumulatus est, tessellato opere compactum, nostra adhuc ætate servatum vidimus. Neque in Urbe solum Musivariam artem Turritus exercuit, verùm in Cathedrali quoque Florentina Ecclesia nonnullas de Musivo pictas imagines addidit aliis Musivariis imaginibus Andreæ Tafi Florentini, qui Musivi construendi præceptis Venetiis imbutus sub Apollonii Græci disciplina primus Florentiæ Scholam aperuit Alexio Baldovinetto, & Gherardo Florentinis

(*a*) In MS. Cathalogo Archipræsbyteror. Vatican. Basil. anni MDCXX.
(*b*) De Sac. Ædific. cap. 2. pag. 8.
(*c*) De Crypt. Vatic. part. 2. p. 371.
(*d*) In Descript. Basilicæ S. Mariæ Majoris lib. 5: cap. 9. pag. 90.

rentinis Pictoribus, aliisque, quos infra multa cum laude recensebimus. In Cathedrali Pisarum Ecclesia binas Salvatoris, ac B. Virginis effigies ad eumdem Turritum referimus, aliam verò S. Joannis Gaddus de Gaddis Florentinus, ac Vicinius Pisanus construxerunt unâ cum Annunciationis, ac Assumptionis B. Mariæ imaginibus, quarum altera SS. Sacramenti, altera verò S. Rainerii altaribus insident, nec non SS. Joannis Baptistæ, & Euangelistæ, quorum effigies supra minores Ecclesiæ portas sunt positæ. Aliud ejusdem Gaddi Musivum opus, a quo celebritatem nominis consecutus est magnam, ut scribit Vasarius (*a*), Florentiæ extat adhuc supra portam maximam Metropolitani Templi. Constat opus ex vitris igne coloratis: sedet ab uno tabulæ latere Christus, qui Virginem Matrem coronat sedentem in alio tabulæ latere, & manus in crucem junctas pectori apponentem: e sede Christi caput leonis exit, e sede Virginis aquila: adstat utrinque Angelorum chorus: & ita descriptum una cum aliis Florentiæ Musivis ad nos Romam misit Cl. V. Abbas Laurentius Mehus.

Hujus Sæculi Musiva obsignabit Bonifacius VIII., qui in Vaticana Basilica Cappellam, in quam mortuus inferretur, a fundamentis construxit, eamque vermiculatis imaginibus decoram, suo adhuc ævo stantem vidit Paulus de Angelis, quamque his verbis describit (*b*): *Nos autem vidimus hoc Altare, antequam a Paulo V. reliquum Basilicæ D. Petri demoliretur, cum Sacra imagine Virginis, & Sacrosancti Salvatoris nostri. Ibi etiam erat depictus D. Petrus Apostolus Princeps, & Doctor Gentium Paulus Apostolus, cum imagine etiam Bonifacii VIII. opere Musivo*. Idemque affirmat Platina inquiens (*c*): *Sepeliturque* (idest Bonifacius) *in Basilica Petri, sepulchro a se antea constructo, quod quidem adhuc extat in Sacello a se condito, opere vermiculato*. Maxime verò pavimenta hoc tempore in usu fuisse comperimus discolorum marmorum tessellis,

(*a*) Vit. Pictor. edit. an. 1568. Florentiæ apud Junctas par. 1. pag. 112.
(*b*) In Annotat. descript. Basil. Vatican. Petri Mallii pag. 122.
(*c*) In Vita Bonifacii VIII.

lis, vel fictis lapillis intecta, ut ex Anonymo Ticinensi, sive Aulico ob longam ab eo moram Avenione habitam apud Joannem XXII., qui anno circiter Millesimo tercentesimo, ac vigesimo octavo laudes Papiæ extollens, inquit (*a*): *Plures Ecclesiæ pavimentum habent minutis lapillis stratum, ex quibus per diversos colores historiales imagines, & literæ sunt formatæ*, ut refert Muratorius (*b*). Alterum adhuc sua ætate extans pavimentum ex his profert Ciampinus (*c*) in Ecclesia S. Michaelis Ticini rudi constructum manu, in quo sacræ, prophanæque cernuntur imagines, atque in illius medio varii sunt circuli, qui labyrinthi medietatem formant, in cujus centro Thesei nota fabula exprimitur, sequenti adjecto carmine:

,, *Theseus instravit, monstrumque biforme necavit.*

Labyrinthus huic similis in pavimento adhuc visitur Ecclesiæ S. Mariæ Transtyberim prope Sacrarii januam, ut prius animadverterat Ciampinus. Alia bina pavimenta enumeramus, alterum, quod in Venetiarum Æstuariis in Cathedrali Torcellarum Ecclesia adhuc manet: alterum verò Arbensi in Insula, quæ una ex Dalmatiæ Insulis est, in Ecclesia S. Joannis Patrum Minorum Conventualium extans, ubi nonnulla antiqui pavimenti vestigia vix supersunt. His aliud addendum Musivum putamus, quod Ecclesiæ B. Mariæ Majoris Vercellis pavimentum exornat, ubi Judithæ, & Holophernis historia exhibetur.

Elegantioris tamen cultus, ac cæteris omnibus præstans pavimentum afferimus, quod in D. Marci Templo Venetiis compactum est, ubi animalia, arbores, aliaque ornamenta a Musivariis mirabili arte depicta conspiciuntur, atque superna Ecclesiæ pars, quoniam inferior marmoreis est tota crustis intecta, auratis lapillis obducta, vermiculatis imaginibus intermiscetur veteris & novi historias Testamenti referentibus, quas

(*a*) Cap. 11. de laudibus Papiæ.
(*b*) Rer. Italicar. tom. 11. c. 11. p. 19.
(*c*) Vet. Monim. part. 2. cap. 2. p. 4.

quas late describit Sansovinus (*a*), atque hæc eadem nostra adhuc ætas admiratur.

Circa hæc tempora compositum fuit Musivum opus, quod Florentiæ visitur in *Opera apud Ædiles*: lapillis constat albis, rubris, cæruleis: tabula est fere ad brachii mensuram: in superiori parte Urbs est Florentiæ, mediamque tenet Metropolitanæ Templum: parte ex alia collis est arboribus consitus, casa ibi, & homines pedites, equitesque: inferiorem tabulæ partem implet S. Zenobius Episcopus Pontificali veste indutus, barbatusque: mitram habet in capite gemmatam, aureoque splendore circumdatur, chirothecas habet rubras, & annulos in utraque manu, una tres digitos erigit, ut benedicat, altera Pastoralem baculum gestat ornatum gemmis; temporis injuriâ deformata aliquantisper est tabula, licet restituta fuerit. Cum desit ad Metropolitanum Templum Turris Campanaria, quæ constructa fuit anno MCCCXXXIV., argui potest opus fuisse compactum ante illud tempus, sed quoniam dubia res est, nihil certi statuimus.

Urbem verò parum Musiva hoc tempore frequentasse in causa fuit diuturna Pontificum absentia, qui, LXX. annorum spatio Avenione morati, parum curæ ad sacras ædes, publicaque ædificia reparanda contulerunt, si Urbanum V. excipias, qui tollendæ Templorum, Urbisque deformitati, quam lacrymabili epistola apud eumdem Pontificem Petrarcha defleverat, animum nonnihil intendit (*b*). Musivariam tamen artem etiam sub Joanne XXII. in Urbe excultam fuisse habemus ex Bulla ejusdem Pontificis, qua piorum largitiones S. Pauli Basilicæ oblatas in Musivorum reparationem Pontifex erogandas concessit (*c*). Ecque magis sub Benedicto XII, ut narrat Turrigius (*d*) ab excellenti Pictore, & eximio Musivario Angelotto Bindonio Florentino, per apocopen *Jotto* vocato,

N

(*a*) Descrizz. di Venezia lib. 1. cap. 1. & seqq.

(*b*) Epist. prima rerum Senilium lib. 7. ad Urbanum V. Pontificem.

(*c*) Ex Archivo Monasterii S. Pauli Urbis.

(*d*) De Crypt. Vatican. par. 1. pag. 62.

vocato, qui Innocentii III. Capellam reparavit. Anno verò circiter Millesimo tercentesimo, ac octuagesimo in Atrio Basilicæ Vaticanæ D. Petri naviculam maris fluctibus agitatam, ac naufragio proximam Simone Memmio Senensi, ac Petro Cavallino Romano in operis adjumentum vocatis, eleganti vermiculato opere absolvit idem Jottus Joannis Cimabovis discipulus, qui bis mille, & ducentorum florenorum pretium tulit a Jacobo Cajetano de Stephanescis S. Georgii in Velabro Diacono Cardinali, ut ex MSto Archivi Vaticani refert Turrigius (*a*). De hoc Musivo opere latius egit Joseph Maria Suaresius Episcopus Vasionensis in epistola ad Cardinalem Franciscum Barberinum Episcopum Ostiensem, quæ edita fuit anno MDCLXXVII. Florentiæ a Jacobo Sabbatinio. Hoc autem excellens Musivum, quod plurimum laudat Villanius in epistolis, quæ superioribus annis editæ fuerunt Venetiis pag. LXXXI. in nova Basilicæ frontis ædificatione a Paulo V. avulsum parieti affixum fuit, ubi ad interiores Vaticani Palatii scalas ascensus erat; Urbanus deinde VIII. supra majorem Templi portam plures in partes dissociatum transtulit, ut narrat Paulus de Angelis, his verbis (*b*). *Jotti picturam referentem imagines Christi, & Apostolorum, de qua Panvinius in demolitione Basilicæ veteris tempore Pauli V., nos ejusdem Pontificis jussu integram asportari curavimus, quam deinde Urbanus VIII. plures in partes divisam collocavit in interiori, supremaque Templi parte videlicet, supra majorem portam dictam antiquitus Argenteam.* Ab Innocentio X. isthinc avulsum, & ante majorem Vaticani Palatii portam positum, demum sub Alexandro VII. in porticus novæ constructione, tristi, ac funesta Musivariæ artis jactura disjectum, ac disruptum fuit. Joseph Maria Suaresius in ea, quam diximus, epistola, *jacebat* (inquit) *imminutum, sensimque disperibat*; addit jussu Clementis X. Pont. Max. restitutum fuisse ab Horatio Manetto Sabinensi. Contra verò ad servandam hujus vermi-

(*a*) De Crypt. Vatican. par. 2. pag. 162. & 163.

(*b*) In Annot. ad Petr. Mallium par. 2. pag. 141.

vermiculati operis memoriam *Senior Franciſcus Cardinalis Barberinus hujus Baſilicæ Archipresbyter ad antiquum exemplar in porticu ante faciem Baſilicæ, ubi nunc eſt, iterum conſtrui fecit*, ut ſcribit Ciampinus (*a*). Veriſimile itaque fit Cardinalem Franciſcum Barberinum Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyterum Pontifici Clementi X. ſuaſiſſe, ut opus Muſivum reſtitueretur, delectumque operi perficiendo Manettum exemplar ita abſumptum inveniſſe, ut maxima ſui parte ex integro conſtrui debuerit, atque ita facile erit Suareſium, & Ciampinum, qui diſcordes videntur, componere.

Abſidem quoque S. Georgii ad Velum Aureum, Salvatoris, & Beatorum Martyrum Sebaſtiani, & Georgii imaginibus Jotti manu exornatam fuiſſe ejuſdem Cardinalis de Stephaneſcis impensâ teſtatur Turrigius (*b*). Alia pariter hoc Sæculo Muſiva recenſet Vaſarius (*c*), quæ Abſidi Eccleſiæ S. Mariæ Tranſtyberim adjecit Petrus Cavallinus laudati Jotti diſcipulus, nec non B. Mariæ effigiem, & Virgines cum lampadibus in externa Baſilicæ fronte poſitas. Prope finem ſequentis Sæculi anno ſcilicet MCCCCLXXXX. Muſivum opus compactum fuit a Dominico Grillandario Alexii Baldovinetti diſcipulo, ut refert Vaſarius (*d*), quod extat adhuc Florentiæ ſupra portam lateralem Metropolitanæ Eccleſiæ, quæ ducit in viam nuncupatam *de Servi*: Annunciationem B. Virginis refert, & vitris igne coloratis coagmentatum eſt. Aeris injuriæ plurimum illi detrimentum intulerunt. Periit autem funditus aliud opus Muſivum ejuſdem Dominici Grillandarii, quod incœperat in Capella S. Zenobii; morte ſiquidem Laurentii Medicei opus imperfectum remanſit, ut ſcimus a Ferdinando Leopoldo del Migliore (*e*). Neque hoc Sæculo intermiſſus Muſivorum fuit in Urbe cultus; reddita enim Eccleſiæ pace, ac triplicis obedientiæ ſchiſmate ſublato in Synodo Conſtantienſi, curæ fuit Pontifici

(*a*) De Sacr. Ædific. Conſtantin. Sect. 10. pag. 77.

(*b*) Ex Grimaldi MS. de Crypt. Vatican. par. 2. pag. 163.

(*c*) In Vita Petri Cavallini.

(*d*) Vita Pictorum par. 2. lib. 7.

(*e*) Vit. Pictorum par. 2. edit. Florentin.

Martino V. Lateranensis Basilicæ pavimentum consternere, ornareque opere vermiculato, ut refert Rasponus (*a*). Reparandis autem Urbis Ecclesiis maxime Nicolaus V. incubuit, quas inter septem celebriores Basilicas enumerat Manettus (*b*), in quibus plurima visuntur Musiva. Inchoavit quoque in Basilica D. Petri absidem Musivi operis, quam Paulus II. quinque millium aureorum pretio perfecit, ut ex Cannensio hausit præstantissimus vir Dominicus Georgius (*c*). Hos verò Pontifices publica Urbis ædificia tam sacra, quàm prophana restituendi, vel renovandi studio antecessit Sixti IV. largitas, cujus fidem faciunt Pontificis insignia, quæ satis frequentia intuentium oculis adhuc occurrunt. In Vaticano verò Templo Capellam hic Pontifex construxit, quæ ab ejus nomine appellatur, ejusque absidem vermiculatis imaginibus decoram fecit, visiturque adhuc in Cryptas Vaticanas translata D. Petri effigies, quæ absidem disjectæ a solo Capellæ exornabat, ut ex epigraphe apposita, quam refert Turrigius (*d*), & prope alteram D. Pauli posita, cujus supra meminimus. Ad hanc autem artem augendam non parum attulit adjumenti liberalium artium studium, quod hac, & sequenti ætate, mirabili Itali homines profectu præstiterunt. Cum enim pictura excellentiæ gradum attigerit, accuratiorem corporum delineationem, ac suaviorem, mollioremque colorum permixtionem etiam Musivaria adoptavit, ubi nova construerentur Musiva, servata rudiori præteritæ ætatis forma in vermiculatis illius temporis operibus reparandis, ne dilaberentur. Neque artificum copia, qui hanc artem excolerent, desiderata est; plures namque in Italia præstantes Musivarios recensebimus. In Museo Magni Ducis Etruriæ extat tabula operis Musivi, quæ magnum illum eruditorum laudibus concelebratum Cardinalem Petrum Bembum refert. In postica tabulæ parte legitur Author operis Musivi

---

(*a*) De Lateranensi Basilica lib. 1. cap. 5 pag. 31.

(*b*) Lib. 2. pag. 930 & 931.

(*c*) In Vita Nicolai V.

(*d*) De Crypt. Vatic. par. 2. p. 238.

Musivi, & annus, quo compositum fuit his verbis. *F. Valerius Zucharus* Venetus fecit MDXXXXII., e quibus patet errasse Baldinuccium (*a*), qui scripsit hunc Valerium fuisse Tarvisinum, & celeberrimi Titiani Vecelii discipulum: floruisse autem anno MDL., atque una cum Vincentio fratre opera quædam Musiva Venetiis in Æde D. Marci fecisse, de quibus inferiori loco agemus. Urbevetani Majoris Templi frontem, quam Laurentius Maytanus Senensis delineavit, Musivo exornavit Franciscus Salviatus Florentinus anno MDXLI. aliique plures sequentibus annis postremam manum imposuerunt, quos inter Antonius Bianchi Venetus, Paulus Rossettus Bononiensis, Alexander & Franciscus Scalza, Ferdinandus Sermei, & Mosca, & Joannes Fratinus, ut ex MSS. Codicibus dictæ Fabricæ (*b*). Ad reparandas sequenti Sæculo temporis injurias id negotii est datum Thomæ Brando, & Gabrieli Mercanti, donec anno MDCCXIII. & sequentibus Philippi Cocchi opera accessit, ac Nicolaus deinde Brocchi totum reparationis opus absolvit. Hujus Templi frons simulacris, & anaglyphis exornata non paucis honestatur Musivis. Superna pars B. Virginem Mariam ab Æterno Patre, & Christo diademate redimitam exhibet, atque binos Angelos ad Virginis pedes jacentes. In dextero frontis latere visitur ejusdem desponsatio, sub qua Archangelus Gabriel Incarnationis Mysterium annuncians, & Christi Baptisma. In sinistra autem frontis parte Virginis accessus ad Templum repræsentatur, sub qua bini Angeli, D. Joseph, & Virgo, ejusque nativitas. Alter ex his duobus Angelis opus est Petri Adami, Philippi Cocchi discipuli, a quo tota Virginis coronatio ex integro renovata.

Montis Regalis Templo, cujus supra meminimus, plura Musivorum ornamenta addita ab Henrico Cardinali de Cardona Archiepiscopo post annum Millesimum quingentesimum quintum

(*a*) Decennal. V. del Secolo IV.

(*b*) Libr. della Fabrica della Cattedrale d'Orvieto del MDLVI. in appresso.

quintum refert Lellus (*a*), operâ Petri de Oddo Siculi, ac Montis Regalis Civis, cujus nomen in pavimento legitur. Inſeriorem Chori partem marmoribus obductam recenſet laudatus Lellus, ſuperiorem verò piramides, ac flores de Muſivo exornant. Pavimentum, quod Templi tholo ſubeſt, Muſivo compactum eſt, & atrium, ſive porticum Muſivariis imaginibus decoratam veteris, novique Teſtamenti hiſtorias referentibus. Reliquam pavimenti partem Alexander Cardinalis Farneſius Archiepiſcopus marmoribus rubri coloris albis venis intermixti, quæ prope Tauromenium ad Orlandi Caput effodiuntur, integi juſſit, anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono.

Nec Venetiis defuerunt celebres hac ætate Muſivarii, qui operum præſtantiâ Templum illud pluribus in locis illuſtrarunt, Franciſcus Valerius nempe, & Vincentius Fratres Zuccari anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, ut fidem facit Sanſovinus (*b*). Inter excellentia Templi Muſiva, quæ ab his conſtructa ſunt, enumerat laudatus Sanſovinus (*c*) octo Prophetas, quatuor Eccleſiæ Doctores, Angelos, Mundi creationem, Adamum, & Hevam, ſacrificia Abel, & Cain, aliaſque non paucas veteris Teſtamenti hiſtorias, Salvatoris noſtri depoſitionem, D. Marci, & Chriſti effigies. Alterius quoque Muſivarii meminit Sanſovinus, nempe Bartholomæi Bozzæ, inter cujus opera SS. Silveſtri, Catharinæ, & Agnetis imagines recenſentur, nec non Marci Luciani Riccii, & Franciſci Zuccari, qui Sacrarii fornicem Muſivo opere intexerunt, & Scipionis Cajetani, qui Templi proſpectum, ejuſque ingreſſum Chriſti ad Cœlum aſcenſu, veteris Teſtamenti Patribus e Limbi carcere eductis, & reproborum Angelorum ad Inferos expulſione exornarunt. Iſtorum Muſivariorum induſtriâ Muſivariæ arti non parum incrementi acceſſit, elegantiori forma compactis Muſivis, ac veteribus reſtitutis, in quibus conſtruendis artifices ſuperiori tempore a rectæ delineationis regulis deflexerant. Quod autem politiori

(*a*) Iſtoria della Città di Monreale pag. 6. 7. 97.
(*b*) Deſcrizione di Venezia lib. 2.
(*c*) Idem Sanſovin lib. 2. pag. 103. & ſeqq.

tiori tunc ars profecerit ministerio, in causa fuit Titiani Vecellii excellentis Pictoris præstantia, qui operibus artificum præpositus, exemplaribus proprio penicillo formatis, Musivariam artem ad perfectiorem cultum revocavit. Neque in Urbe desideravit hæc ætas artifices Musivarios; Bernardinus siquidem Carvajal Hispanus ab Alexandro VI. Cardinalis renunciatus, & Titulum S. Crucis in Hierusalem postea adeptus Basilicam restituit, eamque Musivo opere exornavit, ut ex epigraphe, quæ adhuc in Templo visitur, his verbis: FORNICEM IPSVM AC FIGVRAS MVSIVAS DENVO AD INSTAR PRIORVM REFECIT. Hoc autem contigit Leonis X. imperio, qui Ecclesiæ S. Mariæ in Domnica Musivarias imagines reparandas curavit. Postquam verò Julius II. Pontifex novam splendidi Vaticani Templi molem Bramantis operâ excitavit, in Divi Petri Cathedram Successoribus curæ fuit Musivariis operibus Basilicam ornatiorem reddere, quæ infra recensebimus.

In dextera itaque hujus Templi parte in tholi trigonis Capellæ Gregorianæ variegatis lapillis quatuor Ecclesiæ Doctores construxit Eques Marcellus Provincialis a Cento, Gregorio XIII. imperante, nempe Divos Gregorium Magnum, Hieronymum, Basilium, & Gregorium Nazianzenum. Paries verò, qui sacro altari imminet fenestræ spatio divisus, B. Mariæ Virginis annunciationem; alter autem, qui sinistrum Capellæ latus efformat, Ezechielem, & Jsaiam Prophetas laudati Provincialis operâ conspiciendas ostendunt a Hieronymo Mutiano delineatos. Imposito demum huic Basilicæ admirandæ magnitudinis tholo a Sixto V. Pontifice, hujus laternam Æterni Patris effigie exornavit idem Provincialis, cui totius integendi tholi vermiculatis imaginibus provinciam demandaverat Clemens VIII. Altiorem itaque ejusdem ambitum variis Angelorum ordinibus Provincialis Schola decoravit; inferiorem verò Salvatoris nostri, B. Virginis, SS. Apostolorum, & Divi Pauli: infimam autem Sanctorum Pontificum, & Episcoporum, quorum sacri cineres in Basilica asservantur, musivariis imaginibus obduxit ab Equite Josepho Arpinate delineatis. Huic operi perficiendo manum admoverunt Angelus Sabbatinius Urbevetanus, Ambrosius Giosius

Floren-

Florentinus, Ginnaſius Vitalis Maſſenſis, Petrus Lambertus Cortonenſis, Matthæus Crucianus Maceratenſis, Joannes Baptiſta Cataneus Sabinenſis, & Cinthius Bernaſconus Romanus. In trigonis verò quaternis arcubus interjectis diſtinctis quatuor Euangeliſtæ cum eorum ſymbolis conſpiciuntur, binis feſtivis pueris palmas, & coronas geſtantibus circumdati, quos totidem Muſivarii vermiculatos fecerunt, nempe Marcellus Provincialis, Paulus Roſſettus, Franciſcus Zucchius, & Cæſar Torellius. Eidem Provinciali tribuendi ſunt quatuor alii Eccleſiæ Doctores, ideſt Divi Ambroſius, Auguſtinus, Chriſoſtomus, & Athanaſius, quibus tholi trigoni Capellæ Clementinæ, quæ prope Baſilicæ Sacrarium eſt, honeſtantur. Diſtincta autem feneſtris ſpatia Viſitatione B. Mariæ Virginis, Daniele, & Malachia Prophetis integuntur, quæ primum pictis coloribus repræſentaverat Chriſtophorus Roncallius (*a*).

Alterius tabulæ author eſt Provincialis, in qua Pauli V. imago conſpicitur lapillis minutiſſimis compacta in ædibus Burgheſianis, ubi aliæ binæ tabulæ extant, quarum altera Orphæum variæ ſpeciei animalibus circumdatum exhibet: altera jucundum campeſtrium locorum aſpectum præbet, laudati Provincialis opera. Aliud huic excellenti artifici Muſivum adſcribimus, quod aulæ Magni Ducis Florentiæ appenſum, villas, domoſque in amœnis collibus ſitas oſtendit, & annoſam quercum, ramis diffuſis, quibus nonnullæ aves inſident, aliæ verò noctuam verſus volantes, quæ trunci medio inſidet. Hoc autem opus minutiſſimis, & variegatis lapillis conſtructum hanc in trunco epigraphen ſervat:

MARCELLVS
PROVINCIALIS
A CENTO F.
1615.

Alterius

(*a*) Martinetti lib. 2. pag. 190.

Alterius Musivarii opus recensemus in Ecclesia Scalæ Cœli ad Aquas Salvias a Joanne de Vecchis delineatum, & a Francisco Zucchio Florentino lapillis versicoloribus constructum, quod Mariam Virginem repræsentat Jesum manibus gestantem, quæ a binis pueris diademate coronatur. Dexterum ejusdem latus exornant Divi Bernardus Abbas, & Anastasius Martyr; sinistrum verò SS. Zenonis, & Vincentii effigies. Inferior autem Musivi pars exhibet Clementem VIII. Pontificem, & Petrum Cardinalem Aldobrandinum Dei Genitricem flexis genibus deprecantes.

Eadem sane tempora tulerunt Joannem Baptistam Calandram, qui duplicis tholi trigonos in D. Petri Basilica Musivariis imaginibus operuit, Capellæ nimirum Divæ Petronillæ, & alterius B. Mariæ Virginis de Columna nuncupatæ, quæ utrique lateri B. Petri Cathedræ adhærent. In hujus Capellæ trigonis visuntur Divi Bonaventura, Thomas de Aquino, Joannes Damascenus, & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, ut recte existimat Cl. V. Abbas Martinettus (*a*). In Capellæ parietibus B. Virgo cum Infante Jesu dormiente, & Divus Joseph ab Angelo monitus, ut in Ægyptum fugiat, existunt. In uno latere Rex David: in alio Salomon Rex exhibentur; his tamen postremis Musivis absolvendis in adjutorium vocato Guido Ubaldo Abbatinio. Prioris autem tholi trigonos Capellæ S. Petronillæ Divis Leone Magno, Bernardo, Dionysio Areopagita, & Flaviano Patriarcha Constantinopolitano, ut censet laudatus Martinettus (*b*) refellens sententiam P. Bonanni, & Equitis Fontanæ, idem Calandra exornavit, atque iconem Archangeli Michaelis, altari adjecit: Eliam ab Angelo cibo refectum, & juvenem Tobiam cum Raphaele Archangelo piscem præ manibus habentem de Musivo construxit; supra verò altare Divæ Petronillæ bina Musiva, quorum primum Divum Petrum repræsentat sacro Baptismatis lavacro filiam lustrantem, alterum autem Sacerdotem Nicodemum Eucharistico pane eamdem recreantem a Bonaventura Lamberto, & Equite

O Marc.

(*a*) Lib. 2. pag. 180. (*b*) Lib. 2. pag. 150.

Marco Benfiano Musivariis artificibus compacta sunt (*a*). Ad Calandram quoque referendæ sunt D. Petri imago supra Portam Sanctam posita, nec non Octaviani Ubaldini in Ecclesia B. Mariæ supra Minervam (*b*) & Marii Bovii effigies in altera Monialium Divæ Claræ.

Inter hujus Sæculi Musivarios recensemus Scipionem Provincialem, qui in Ecclesia S. Mariæ Scalæ Coeli Absidem exornavit: Cæsarem Vaccam Calandræ Discipulum, a quo Rondanini effigiem in Templo Divi Laurentii extra Urbis moenia positam affirmat Ciampinus (*c*): Narcisum Spinam ab eodem Ciampino laudatum, & Horatium Manettum Sabinensem. Hujus autem Musivarii opera in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, quam Urbanus VIII. in illustriorem, splendidioremque formam restituit, senior Franciscus Cardinalis Barberinus (*d*) sub Alexandri VII. imperio renovavit, quæ temporis injuriâ dilapsa, Gregorii XIII. ætate, penicillo fuerant suppleta Felicis III., sive IV. Pontificis imagine in alteram D. Gregorii Magni immutata, ut ex Pompejo Ugonio refert Ciampinus (*e*) quæ Felicis facies laudati Cardinalis curâ fuit iterum restituta.

Alia quoque Musiva labente Sæculo in Vaticana Basilica recensenda sunt, atque aliorum excellentium artificum nomina. Abbatinius a nobis supra memoratus author est vermiculati operis, quo Capellæ tholus augustissimi Sacramenti, ejusque trigoni obducti sunt (*f*) ubi altare conspicitur visionem referens Capitis VIII. Apocalypsis; Elias ab Angelo cibo refectus, Aaron vas mannâ implens, & Sacerdos panes distribuens propositionis, quæ Petrus Cortonensis penicillo expresserat. Arcuata autem prope fenestras spatia exornavit Horatius Manettus, exemplum imitatus Raphaelis Vanni Senensis, quæ Sacerdotem frumenti primitias offerentem, exploratores e terra promissionis redeuntes, & gravem uvæ racemum portantes, Angelum Jsajæ labia igne mundantem,

(*a*) Martinett. eod. lib. pag. 151.
(*b*) Vet. Monum. part. 1. cap. 2. pag. 88.
(*c*) Vet. Monim. par. 1. cap. 2. pag. 88.
(*d*) Suaresius Epist. ad Card. Franc. Barberinum pag. 9. & 10.
(*e*) Dicto lib. par. 2. cap. 7. pag. 57. & 61.
(*f*) Martinettus lib. 2. pag. 134. & 135.

tem, Ozam a Deo percussum, Jonatam mel gustantem in Saulis Regis contemptum, & idolum Dagon e conspectu arcæ humi prostratum, & confractum repræsentant. Pater Bonanni (*a*) Titi sententiam secutus alterius tholi Capellæ Divi Sebastiani Musiva Abbatinio adscribit; Eques Fontana verò Fabium Christopharum Prænestinum, & Matthæum Piccionum authores agnoscit totius tholi, & priorum trigonorum, reliquos verò Columbo tribuit. Tholum integunt Martyres palmas manibus ferentes, & Æterno Patri in gloriæ Cœlestis Solio sedenti plaudentes, cujus lateri Divinus Agnus adhæret. In trigonis autem apparent Abel agnum Deo super altare offerens, Jsajas serram prope latus habens, Ezechiel in adoratione positus, & Zacharias Pontifex lapidibus in atrio Templi obrutus. In pariete e conspectu altaris fenestræ intervallo distincto visuntur septem Machabæi fratres, eorumque genitrix, & Mathatias hebræum idolorum cultorem interficiens; in alio verò Eleazarus morte damnatus; Hebrææ mulieres e muro præcipites Antiochi Regis decreto; Propheta Daniel in leonum caveam, & tres Pueri in fornacem ardentem missi. Hæc autem priora parietum Musiva Fabio Christopharo, reliqua Matthæo Picciono tribuenda sunt.

Hanc Divi Sebastiani Capellam altera subsequitur Christo e cruce pendenti dicata, ubi nunc ejus depositio in Beatæ Virginis sinu existens altare splendidum facit Michaelis Angeli Bonarroti celebri scalpro expressa. Hujus Capellæ tholum integunt Angelorum imagines, quarum aliæ fulminibus armatæ terrorem incutiunt, aliæ verò hominum frontes signant. Trigonos autem obducunt Noe cum arca, Abraham Jsaacum ad immolandum ducens, Moyses tabulas legis ferens, & Hieremias Propheta. Arcuati ante Capellam parietes binas Sibyllas habent Phrygiam, & Cumanam: in sinistro verò latere conspiciuntur Zacharias, & Amos, Oseas, & Jsaias Prophetæ, variegata opera laudati Fabii Christophari, quæ Petrus Cortonensis, & Cirus Ferri prius delineaverant.

Præteriti autem Sæculi felicitati tribuendum, quod

(*a*) Cap. 21. num. 2.

Eques Petrus Paulus de Christopharis laudati Fabii filius in paternæ artis ministerio instituendum se dederit; adeo enim hic ingenio, & studio profecit, ut Musivariam artem feliciorum temporum elegantiam referre, & excellentium Pictorum imagines æmulari docuerit. Hac artis præstantia commendatus magno in pretio est habitus a Clemente XI. cujus non postrema laus fuit benevolentiâ prosequi eos omnes, qui in liberales artes excolendas incumberent. Celebriorum itaque suà ætate Pictorum, & Sculptorum operam assumpsit ad Lateranensem Basilicam Prophetarum imaginibus, ac Apostolorum simulacris exornandam. Laudato quoque Equiti de Christopharis Musivorum reparationem non tam frontis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim, quàm absidis Ecclesiæ B. Mariæ in Domnica demandavit; & in Vaticano Templo altarium iconibus præstantium Pictorum, quas humidus aer fere corruperat, sublatis, novas vermiculato opere tabulas, quas nunc admiramur, superaddi jussit. Hæ autem vel ab ipso constructæ sunt, vel ex ejus Schola prodierunt, in tabularum construendarum adjumentum assumptis præstantibus viris, qui Musivariæ artis præcepta ab eodem didicerant, Equite nempe Joanne Baptista Brughio, Philippo Cocchi, Liborio Fattori, Josepho de Comitibus, Dominico Gossono, Josepho Octaviano, aliisque, quos infra recensebimus, & quorum operâ reliquos Capellarum Vàticani Templi tholos Musivariis imaginibus decoravit, quas modò referimus.

In sinistro hujusce Templi latere Chori Capella existit, ubi psalmodias Clerus modulatur, cujus tholus Patrem Æternum continet, quem in gloriæ Solio sedentem sustinent quatuor animalia, eumque circumsistunt Angelorum, & Beatorum agmina, atque in tholi medio splendet Iris ad tranquillam, perpetuamque pacem significandam. Trigoni autem quatuor Prophetas habent, nempe Habacuc, Danielem, Jonathan, & David Regem. Parietes verò, qui fenestras contingunt, decoros reddunt Moyses in monte Deum deprecatus, Samuel Saulem Regem increpans propter sacrificium, Judith Holofernis caput gestans, Debora Prophetissa, Hieremias Hierosolymæ excidium plorans, Debora, & Barac festivi post obtentam victoriam; tholi Musiva, quæ Cirus Ferri,

ri, & Carolus Maratta pinxerant, Philippus Cocchi conſtruxit; trigonos verò Angelus de Comitibus, & Joſeph Octaviani. Altaris autem tabulam a Petro Blanco depictam variegatis lapillis præſentium Muſivariorum Schola formavit proxime elapſo anno Jubilæi, in quo repræſentantur Conceptio B. Mariæ Virginis, Divi Joannes Chriſoſtomus, Franciſcus Aſſiſienſis, & Antonius Patavinus.

Huic adjacet altera Capella Præſentationis B. Mariæ Virginis, in cujus tholo ſplendet ſtellis circumdata, Lucifero e Cœlo ejecto. In trigonis verò intuentium oculis obverſantur Aaron Sacerdos arcam thurificans: Noe cum arca: Propheta Balaam myſticum Jacob ſydus indicans, & Gedeon vellus laniferum manu tenens. In arcuatis parietibus viſuntur Judith caput Holophernis amputans: Joel Siſaram occidens: Maria ſoror Moyſis læta, & feſtiva propter Ægyptiorum ſubmerſionem: Moyſes calceamenta exuens, ut ad rubetum accedat: Joſue, qui Soli curſum inhibet, & Jſajas Propheta parvam nubem admirans, quæ per äërem extenſa in pluviem ſolvitur. Has imagines Caroli Marattæ penicillo adumbratas variegatis lapillis conſtruere cœperat Fabius de Chriſtopharis, eaſque perfecit Joſeph de Comitibus (*a*).

Poſtrema ſiniſtri lateris Cappella fontem continet, in quo ſacræ reparationis lavacro mundantur Infantes. In ejuſdem tholo tria Baptiſmata repræſentantur fluminis, ſanguinis, & flaminis, primum in Baptiſmo D. Joannis Baptiſtæ; ſecundum in Martyrum frequentia; tertium per eos, qui Baptiſmum ſuſcipiendum anhelant. Quatuor Orbis partes trigonos replent. Diſtincti feneſtris parietes exornant Chriſtus Dominus B. Petrum baptizans (*b*) Conſtantinus Magnus Imperator a Divo Silveſtro Pontifice aquâ Baptiſmatis ablutus, Centurio a Divo Petro, & Eunuchus Reginæ Candacis a Beato Philippo peccati originalis maculâ ſacro fonte deterſi, nec non Moyſes aquam virgâ e petra eliciens, & Noe cum Iride poſt diluvium: Quæ omnia a Franciſco Triviſano delineata muſivario opere elaborarunt Eques Joannes Brughius, Liborius Fattori, & Joſeph Octavianus.

Ad

(*a*) Martinettus lib. 2. pag. 207. & ſeqq.

(*b*) Martinett. lib. eod. pag. 213. & ſeqq.

Ad majorem Musivorum præsenti Sæculo elegantiam accessit novum purpurei coloris inventum, quo Musivarii nostri huc usque caruerant, quodque ingenio, & solerti Alexii Mattioli industriæ debemus. Itaque hoc aucta colore Musivaria ars suam feliciori incremento sortita est excellentiam, & complura nobis dedit Musiva, quæ picturam ipsam æmulantur. Decem proinde ex Musivo compactas tabulas, quarum exempla præclarissimi Pictores effinxerant, in Vaticanæ Basilicæ altaribus enumeramus, Beatum Petrum a Christo vocatum, & in mari periclitantem Equitis Joannis Lanfranchi Bononiensis penicillo formatum: Præsentationem B. Mariæ Virginis ex Urbani Romanelli Viterbiensis tabula: Divos Hieronymum, & Sebastianum, quorum iconibus Dominicus Zampieri Bononiensis duo distincta altaria exornaverat: Divam Petronillam a Joanne Francisco Barbieri Bononiensi depictam: Divum Erasmum, quem Nicolaus Pussinus Normannus coloribus expresserat: Christi Baptisma, Caroli Marattæ opus: Centurionem a Julio Cæsare Procaccino delineatum: SS. Processi, & Martiniani martyrium, quod Valentinus Flander effinxerat, ac demum Passiniani Florentini tabulam Longinum referentem.

Alia quoque Musiva ex hac Schola prodierunt: Deiparæ imago puerum Jesum gestantis, nec non planisphærium numeris ad indicandas horas instructum in turri Quirinalis Palatii jussu Pontificis Innocentii XIII. ad ornatiorem amplissimi cavædii cultum: Sancti Andrææ Corsini effigies in Capella Corsinæ Familiæ in Lateranensi Basilica: Clementinæ Magnæ Britanniæ Reginæ in Vaticano Templo: Cardinalis Renati Imperialis in Ecclesia Divi Augustini de Urbe: Cardinalis Ulyssis Gozzadini in Ecclesia Servorum B. Mariæ Virginis Bononiæ: Cardinalis Innici Caraccioli in Cathedrali Aversana: binæ Musæ, quæ ad Catholicum Hispaniarum Regem Philippum V. fuerunt asportatæ, atque pavimentum Regalis Capellæ, quam Joannes V. Fidelissimus Lusitaniæ Rex immani sumptu excitavit.

Musiva his addimus in Urbe ex integro reparata in fronte Basilicæ Divi Pauli viâ Ostiensi Benedicti XIII. impensâ, & Arcum Triumphalem a Clemente XII. restitutum,

ut

ut ſupra vidimus: in eodem Templo, ubi toti Abſidi reparandæ, quam Honorius III. conſtruxerat, ut ſuo loco retulimus, Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. munificentia aureos decem, & ſeptem mille de ſua pecunia contulit ad opus perficiendum, vocatis præſtantiſſimis Muſivariis laudati præceptoris gloriam æmulantibus, Nicolao Honuphrio, Joſepho Octaviano, Bernardino Regolo Romanis, Henrico Enuò, & Willelmo Palat Leodienſibus, ac Joanne Franciſco Fiano Lucenſi.

Horum autem induſtriâ Muſivaria in Urbe ars ſplendet, atque magis florebit ſub felici imperio SSmi Pontificis, qui omnes Prædeceſſorum ſuorum virtutes complexus huic arti fovendæ, & excolendæ maximis benevolentiæ ſignis, & pecuniæ largitate adjumento eſt.

Ex his, quæ ſucciſivis horis, & cum nonnihil otii a publicis Muneribus, quibus in Urbe fungimur, nobis datum eſt, digeſſimus, non parum laudis, gloriæque Italis accedet, qui Muſivariam artem rudioribus quoque Sæculis excultam ad priſtinam excellentiæ dignitatem hac noſtra ætate evexerunt.



ELEN-

ELENCHUS AUTHORUM QUI HIC CITANTUR.

A

B

C

D

Ennodiu

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Quaré-

Q

R

S

Theo-

T

V

X

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
Numeri Paginas indicant.



Frontati

Basilica

S. Stepha-

In Por-



ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 13. *Lithoſtrata*.	Lithoſtrota.
17. *Lithoſtrata*.	Lithoſtrota.
19. *teſserulæ omnes*.	teſſerulæ omnes
23. *Cappella*.	Capella.
24. *pennicillo*.	penicillo.
26. *pennicillo*.	penicillo.
32. *Tyburtina*.	Tiburtina.
36. παντα.	πάντα.
36. εν.	ἐν.
79. *Cappella*.	Capella.
80. *Cappellam*.	Capellam.
94. *Cappellam*.	Capellam.
95. *Cappellam*.	Capellam.
103. *Vecellii*.	Vecelii.
109. *Cappella*.	Capella.